Ja. Mehrer SJ.

AUGUSTINUS DOGMATICUS

Fidelium mores informans
Fidei Veræ morem confirmans
SIVE
PRÆCIPUA AURELII
DOGMATA
Præcipuas morales & Polemicas
materias illustrantia
Consensu Patrum, Assensu Conciliorum,
momentis Rationum firmata.
Legentium commoditati proposita
CUM ANNEXIS THESIBUS
EX UNIVERSA
THEOLOGIA SCHOLASTICA
QUAS
In Alma, Cæsarea, Regia, ac Episcopali
Universitate Olomucensi Societatis JESU
SUB RECTORATU
ADMODUM REVERENDI, CLARISSIMI,
ac EXIMII PATRIS
P. CAROLI RENTSCH
è Societate JESU
SS. Canonum & SS. Theologiæ Doctoris,
Academici Collegii ac Universitatis Olomucensis
Societatis JESU
RECTORIS MAGNIFICI.

la. Wiener 72.

PRÆSIDE
REVERENDO, ac EXIMIO PATRE
PATRE
JOSEPHO MEHRER
è Societate JESU
SS. Theologiæ Doctore, Ejusdémque in prænominata Universitate Professore Regio, Publico, ac Ordinario
Nec non Inclytæ Facultatis Theologicæ
SENIORE
Pro Licentiatu & suprema Doctoratûs Theologici Laurea
Publicè defendendas suscepit
Reverendus. Religiosus, Doctissimus ac Præcellens
D. MARTINUS PAWELKA
Sacri Apostolici & Antiquissimi Ordinis Sancti Augustini Canon. Regul: Lateran. Celeberrimæ Collegiatæ Ecclesiæ ad OO. Sanctos Canonicus Regularis AA. LL. & Phil. Magister SS. Theologiæ Baccalaureus Formatus
Annô MDCCL. Mense Die horis ante & post meridiem consvetis.
CUM LICENTIA ORDINARII.

Olomucii, Typis Francisci Antonii Hirnle,

Sub

GLORIOSISSIMIS AUSPICIIS

SANCTISSIMÆ COELORUM

REGINÆ,

Regis Sæculorum

MATRIS VIRGINEÆ

M A R I Æ,

Nec non

Excelso Sancti Sanctorum Throno

Adstantium Potentissimorum

Patronorum

SANCTORUM OMNIUM.

VIsionem magnam Magnæ Cælorum Dominæ pridem in Pathmo sua speculabatur Aquila Theosophus, postquam Regalem solis orbitam, duodenariô stellarum satellitiô circumdatam, admirans suspexit in cælo, pronus adoravit in terris. Sydereum hunc supernarum sedium appara-

ratum hyperdulicô contemplaturus ciliô Agonotheta Theoſophus è domeſtica, ſacerrimæ Spirituum Cæleſtium Hierarchiæ dicata, ſpecula mulierem intueor amictam ſole, fulgidiſſimo duodecim ſyderum redimitam diademate, quô duodenariô numerô, cùm in Scripturis divinis plerumque rerum deſignetur Univerſitas, idcirco meritiſſimô pietatis officiô Mariam deveneror Reginam Cælitum, coronam Sanctorum omnium. Atque hoc armatus præſidio, tantò feliciori ſecuritate arenam ingredior ſcholaſticam, quantò benigniori conatu meis aſpirat armis illa, quæ non rarò adverſantium turbarum molimina diſſipavit terribilis, ùt caſtrorum acies ordinata; iſtorum etiam munimine protectus, quorum pacifica poſſeſſio victricis laureæ, quam olim de hoſtibus gloriosè reportârunt, æterna in cælis, interminabilis boni eſt fruitio. Habeat igitur ſuis excæcata erroribus gentilitas tot opitulantes DEOS, Deorúmque ſimulacra, quot fanaticæ imaginationis à primordio adoravit delubra; nihil tamen, aut gratiæ, aut favoris uſpiam ab his experietur deluſa, poſtquam propriô fatiſ-

cens

cens ſtudiô in literaria etiam Palæſtra muta conticeſcet, utpote cujus omne fiduciæ, ac ſpei robur, iſtorum committitur gubernaculo, qui aures habent, & non audiunt, os habent, & non loquuntur. Aſt Marianæ pietatis monumenta, & feſtiva Sanctorum trophæa vocales pro terrigenis ſunt linguæ cælorum, eò ſemper ad patrocinandum proniores, quò liberaliori mentis reſolutione, etiam deſperatarum cauſarum, felix eventus illorum concreditur facundiæ, ſubſternitur arbitrio; nihil enim æquè cælites facit in vota propitios, quàm votorum ſcopum, ac metam conſtituere Sanctos, in quos, dum omnis pietatis ardor, & fiduciæ plenitudo collimat, nunquam à propoſito deſideriorum termino animus votivus aberrat. Nihil equidem perditur, quod offertur Superis; his multa ſi dederis, plura recipies; certant enim cum liberalitate noſtra; & quia plus poſſunt, ſemper nos vincunt. Expertum eſt id, quod adſtruo, à ſæculis aliquot Canonicum Domûs noſtræ contubernium, in quo beata tranquillitate ab hoſtium incurſibus ſecuri quieſcunt Nazaræi, quos Marianæ fortitudinis com-

munivit protectio, quos supernorum cæli Civium hactenus conservavit implorata defensio. Sed neque hisce sub labaris aut quassata, aut debilitata unquam concidit Musa domestica; quot quot enim Mariam armaturam fortium veluti invictissimum in certamine scholastico apprehenderunt clypeum, & quicunque larium Indigetum nostrorum coluêre aras, tanquam à tripode Delphica infallibilia acceperunt responsa: quibus adversariorum sophismata Theosophica ingenii acie confutarent. Ità nimirum auspicato omnia peraguntur omine, quæ unitis Cælorum viribus agenda assumuntur à Theosopho, qui DEI unius, & Trini Majestatem speculatur in solio gratiæ, quod est Maria; qui singulorum tractatuum Theologicorum expendit mysteria in Sanctis omnibus; nam hi sunt ipsissima Ordinis Lateranensis Theologia Universa. Absit proinde vel cunctari deinceps, quonam Marte in arena Agonotheta luctetur Theosophus, quando litigium ipsum dirimit beata pacis regio, quæ contubernio nostro est, manétque inquilina, ut extra illud in incertum nunquam sinat peregrinari alumnos, dum hi

per

per dubios difficultatum mæandros properant ad terminum, ubi haud cruenta velitatione, tranquilla in pace bella à stadiodromis definiuntur. Neque igitur mihi ultrà cunctari fas est; unde nimirum belli scholastici evocem suppetias? quem tanta obarmat potentia, quanta pro veritatis propugnandæ, difficultatúmque dissolvendarum sublimitate militum supernorum mecum decertat armorum panoplia, Duce, & Moderatrice Maria. Etiam quidem Herculi Deo extorsêre clavam, cùm duo pugnarent adversùs Herculem; ast herculeo stabit ausu immotus Theosophi animus, pro quo multiplicata cum ipsa Cælestium exercituum Domina expansis labaris Sanctorum omnium militat Corona, quæ ità jam olim feliciter devicit hostes, ut in Urbe orbis principe integrum Pantheon victoriarum suarum constitueret domicilium. Itaque macte animis luctator Theosophe; cui pugnando datur vincere! Apocalyptico obtutu oculorum supercilia in cælos conjice! & cælorum Reginam, totámque Sanctorum Rempublicam, certaminis constituti Imperatricem, tua flectere in vota, hyperdulica pietate adnitere. Nè igitur argu-

mentorum telis petitus, ingeniorúmque ſubtilitate confuſus, ex arena inglorius abeam Theoſophus, veſtram, quibus cura eſt de nobis benigni cælites, auxiliatricem hodie imploro potentiam, ac tuum cumprimis Regina Sanctorum omnium, devotus expoſco ſuffragium, ut, quæ hactenus ſemper cum tota cæleſti curia Canoniæ Lateranenſis fuiſti advocata, hodie in cauſa admodùm dubia & periculoſa, obſecro, velim ſis cum iisdem Sanctis omnibus Cicero pro domo mea

DIXI.

Ad

Ad Lectorem.

AUgustinum præcipuam Eruditi Orbis formam, vel ex lineamentis præsentare placuit, ut sui etiam parte affatim appareat, ex ungue Leo, certè Leonis de Tribu Juda Præcipuus Propugnator, ex penna Aquila. Ità enim induxi in animum, fore, ut vel radius censeatur illustrior Ille, qui à Sole ingeniorum mutuatur, Gutta limpidior illa, quæ à fonte derivatur. Et verò: aliquid tantùm de Augustino dare Lectori oportuit: Totus quippe intelligi vix potest, qui satìs intelligere nunquam potuit, aut totus ingenium, aut ingeniorum compendium. Certè legentium oculis ampliùs consultum iri autumabam, si de Magno Ecclesiæ Luminari Aurelio, decerptas solùm scintillas assumerem, satìs in hoc fidelibus & Lucem & Ducem allaturus. Neque, ùt opinor, desipiet fructus Augustinianus, aliàs ambrosiâ conditus, & Ambrosiô ad palatum Ecclesiæ eruditus. Quanquam: cùm profanè scribere neque potuerim, neque voluerim Theologus, vel indè ex Libris Augustini assumere libuit aliquid, inter Sanctos Magni, ad Omnes Sanctos Patriarchæ Maximi. Quippe condignè memet scripturum modica etiam constitui, ubi ex Scriptis Augu-

stini depromptum venit argumentum; Quod feliciter ex Aurelio scribatur aliquid, posteaquam Is omnia felicissimè scripsit. Nec propterea Scriptor futurus Lectori molestus, quia Doctorem Ecclesiæ audiet is, legétque promptus, nec mihi Lector infestus, quia ab Ecclesia, Hoc cumprimis Magistro populos docente, Ipsius discere volet paratus. Denique: si admirabile, quod afferimus publico non est, neque enim tenuior penna nostra extra vulgus excurrit, vel istud in eruditorum oculis esse potest mirabile, Augustinum in materia qualibet mirum aliquid continuè dixisse, scripsisse, probâsse, ex quo vel modicum legentium oculis subjicere sit mirum aliquid dare, quia vix à miraculo abludit, quod ingeniorum Portentum Augustinus scripsit. Interim quod ex Augustino præsentamus, si placet; lege, si displicet, Lector ignosce; scribenti mihi satìs, quod finis lugubrationis,

Non gloria nobis
Causa, sed utilitas, Officiúmque fuit.
Ovid. Eleg. 9.

DO-

DOGMA I AUGUSTINI De RELIGIONE.

AD unum DEUM tendentes, & Ei Uni religantes animas nostras, unde Religio dicta creditur omni superstitione careamus. C. 55. N. 111. L. de vera Relig.

Non sit nobis Religio in phantasmatis nostris, non sit nobis Religio terrarum cultus & aquarum; non sit nobis Religio cultus corporum æthereorum atque Cœlestium; non sit nobis Religio humanorum ope-

operum cultus; non sit nobis Religio cultus bestiarum; non sit nobis Religio cultus hominum mortuorum; non sit nobis Religio cultus dæmonum; quod ergo colit summus Angelus, id colendum etiam est ab homine ultimo; hoc etiam ipsos optimos Angelos velle credamus, ut unum cum ipsis colamus DEum, Cujus contemplatione Beati sumus. Religet ergo nos Religio Uni Omnipotenti DEO. C. 55. N. 109. 110. 113.

PARAPHRASIS DOGMATIS.

Religio in præsenti pro quadam virtute inclinante nos ad cultum & honorem DEO exhibendum accipitur; neque hic Religionem pro statu Religionis Christianæ, aut statu Religioso sumptam attingit Augustinus; apertè solùm ad verum cultum DEO ceu supremo Domino, propter Ejus excellentiam exhibendum, ex virtute Religionis, ad operationes honestissimas inclinante, fideles informat. Ampliùs etiam verbis suis, actus externos Religionis insinuat; quia tamen id, quod est externum, refertur ad id, quod est internum, tanquam principale, à quo imperatur; indè satis doctrinâ suâ Aurelius actus etiam internos Religionis indigitat, simúlque peccata, Religioni opposita, à quibus cavendum maximopere veniat fidelibus, distinctè enunciat. Cum quo sit;

CA-

CAPUT I.

Fidelium mores informati in Virtute & materia Religionis.

Dico 1. RELigio sive virtus Religionis tendit in actiones humanas, in quantum illæ sunt cultus DEO tanquam Primo rerum Principio debitus sub honestate hac in similibus actibus relucent. Religionis actus externus alius, alius est internus; internus consistit in animi nostri submissione, qua infinitam DEI excellentiam suspicimus & veneramur; externus est, quô internum actum manifestamus ac testamur *v. g.* per sacrificium, adorationem, seu cultum latriæ &c. Actus iste uterque est à virtute Religionis, vel elicitus, vel respectivè imperatus.

Dico 2. Actus Religionis ordinariè undecim numerantur, nempe: Devotio, Adoratio, Oratio, Sacrificium, Oblatio, Primitiæ, Decimæ, Votum, Juramentum, Adjuratio, & Laus DEI. Est autem primus Religionis actus *Devotio*, prout in præsenti accipitur: Prompta voluntas faciendi ea, quæ ad cultum divinum pertinent. Ut sunt Oratio, & Laus DEI; sic tamen, ut Devotio sit actus Religionis immediatus, & elicitus; Oratio verò & Laus DEI dicantur actus, à devotione imperati. Secundus Religionis actus, Adoratio: in genere & amplissimè accepta definitur à S. Damasceno: *Est nota, seu significatio submissionis erga alterius Personæ digni-*

dignitatem : Quæ definitio 4. importat ; 1. Internum judicium intellectûs de alterius dignitate, ſeu excellentia. 2. Affectum voluntatis extimè ſignificandi æſtimationem erga ſimilem perſonam. 3. Ipſam externam ſignificationem hujus æſtimationis, in qua formaliter ſita eſt adoratio. 4. Dignitatem, & ſuperioritatem Perſonæ adorandæ; nam adoratio eſt erga ſolos ſuperiores, laudatio verò, honoratio & glorificatio etiam erga pares, imò & inferiores.

Dico 3. Adorationem ità amplè & analogicè acceptam dividi in Politicam, ſive Civilem (quæ nempe alicui defertur propter dignitatem & excellentiam naturalem) & in Sacram, ſeu Canonicam, quæ alicui defertur propter excellentiam ſupernaturalem. Hæc Sacra ſive Canonica adoratio ulteriùs ſubdividitur in Latriam, ſeu cultum Latriæ, qualis cultus adoratio propriè & ſtrictè talis dicitur, debetúrque ſoli DEO tanquam Primo & Supremo rerum omnium Principio ac Domino, propter ſummam Ejus & increatam dignitatem, ac excellentiam; adoratúrque ità DEUS, Sanctiſſima Trinitas & Chriſtus Dominus. In hyperduliam, quæ ob excellentiam creaturæ quidem, attamen cæteris creaturis majorem, debetur Beatiſſimæ Virgini. In Duliam, ſeu cultum Duliæ, qui propter excellentiam ſupernaturalem à DEO participatam, & Beatiſſimæ Virginis dignitate inferiorem debetur reliquis Sanctis.

Dico 4. Quando aliquid adoratur, aut colitur propter excellentiam, aut ſanctitatem ſibi

bi intrinſecam, dicitur adoratio abſoluta, vel cultus abſolutus, & ſic adoratur DEUS, Sanctiſſima Trinitas, & Chriſtus; ſic etiam ſuo modo cultu abſoluto hyperdulico colitur Beatiſſima Virgo, dulico verò omnes Sancti, nempe Angeli & homines beati. Dum autem colitur aliquid, vel adoratur propter excellentiam vel ſanctitatem, non ſibi, ſed alteri ad quem reportat reſpectum inexiſtentem, dicitur tunc adoratio reſpectiva, ſeu cultus reſpectivus; hac latriâ reſpectivâ adoratur Sanctiſſimum Nomen JESU, Imagines Chriſti, & cruces quamdiu crucis formam retinent. Crux tamen originalis, & alia Paſſionis Chriſti inſtrumenta originaria, poſſunt adorari cultu latriæ reſpectivo, quamvìs amittant ſuam formam; Ratio eſt: Quia illa ratione realis contactus, quô nempe Chriſtus illa tetigit, adhuc repræſentant Chriſtum. Cultu reſpectivo, eóque publico ac ſolemni coluntur imagines Beatiſſimæ Virginis, & aliorum Sanctorum authoritate Eccleſiæ canonizatorum, aut beatificatorum, Eorúmque Reliquiæ, oſſa, veſtes &c. Cultu privato, & non ſolemni licitum etiam eſt colere homines vitæ ſanctitate vel martyrii famâ inſignes, intelligitur attamen nomine cultûs privati ille, qui non exhibetur tanquam inſtitutus ab Eccleſia, neque nomine Eccleſiæ, ſed fit ex particulari peculiari devotione colentis, ſive deinde fiat privatim aliis non videntibus, ſive fiat publicè aliis inſpectantibus. Porro poſſumus talium imagines, ſed ſinè laureolis vel radiis do-

mi retinere, Eorum reliquias asservare, in Eorum honorem jejunare &c. Talis enim cultus censetur privatus, cùm non fiat nomine Ecclesiæ, aut tanquam institutus & destinatus pro tali ab Ecclesia. Qualiter fieret, si in litaniis vel officio Divino invocaretur, aut Missa propria de tali præcisè voce populi sancto legeretur. Quare si petatur Missa in honorem alicujus Sancti nondum canonizati, debet legi de festo, vel de feria occurrente, vel, ùt quidam etiam faciunt, votiva de SSS. Trinitate, sinè speciali oratione de tali Sancto, licèt ex privata Sacerdotis intentione, & devotione posset applicari quodammodo ad honorem talis Sancti.

Dico 5. Actus Religionis 3tius Oratio est, quæ latissimè sumpta describitur, quòd sit elevatio mentis ad DEUM; strictiùs verò hìc accipitur pro rationabili postulatione alicujus boni à DEO. Dividitur in mentalem, & vocalem; prior fit tantùm in mente, posterior etiam ore, verbísque exprimitur. Subdividitur deinde oratio in publicam, quæ à Ministris Ecclesiæ nomine totius populi in Missa, vel horis Canonicis fit; & in privatam, quæ à quolibet privatim peragitur. Dari præceptum orandi, constat ex eo, quia auxilia divinæ Gratiæ, sinè quibus homo non potest consequi salutem, communiter à DEO non conferuntur, nisì habentibus pias, ac devotas, constantes, & perseverantes preces, juxta illud Matth: 7. Petite, & dabitur vobis. Itèm ad Coloss. 4. Orationi in-

instate. Urget autem hoc orandi præceptum variis in circumstantiis, ùt infrà patebit.

Dico 6. Quartus Religionis actus numeratur Sacrificium. Quintus Religionis actus dicitur Oblatio. Illud ità describitur: Est oblatio externa DEO facta per destructionem, vel notabilem immutationem rei sensibilis in protestationem Supremi Dominii DEI, & nostræ ad Eum subjectionis. Tale sacrificium propriè hìc & nunc est solùm sanctissimum Missæ sacrificium, de quo in materia Sacramentorum tractatur. Hæc autem, nempe oblatio, dicitur esse spontanea donatio rei ad cultum DEI. Oblationis nomine intelliguntur præprimis illa dona, quæ fideles ad altare offerunt inter Missarum solemnia. Denique sextus actus Religionis Primitiæ sunt, sive primi fructus agrorum, arborum &c. DEO Supremo rerum omnium Largitori ac Domino in signum gratitudinis, nostræque subjectionis oblati. Primitias pendendi, etsi olim fuerit obligatio, hìc & nunc tamen in pluribus locis hæc obligatio per consvetudinem est sublata. Septimus deinde Religionis actus appellatur Decimæ, & hæ sunt pars decima omnium fructuum justè acquisitorum, DEO in recognitionem sui Dominii universalis debita, atque Ecclesiæ Ministris quotannis exsolvenda. Octavus demum Religionis actus votum nuncupatur, quod promissio deliberata facta DEO de bono possibili & meliori dicitur. Nonus iterum Religionis actus, juramentum nominatus, est invocatio tacita vel ex-

 pres-

pressa Nominis Divini, tanquam Primæ & infallibilis Veritatis, in testem seu testimonium alicujus veritatis. Tandem decimus est adjuratio, seu rei sacræ contestatio ad permovendum alterum, & hæc fit primò præcipiendo, ùt faciunt Exorcistæ respectu malorum Spirituum, vel deprecando, qualiter facit Ecclesia in precibus suis supplicans exaudiri per Christi adjurationem, ità suas orationes concludens: Per Christum Dominum nostrum Amen. Undecimus denique hujus virtutis actus Laus DEI dicitur consistens in Ejus exaltatione. Atque hæc breviter de virtute & actibus Religionis ad præliminarem quandam Fidelium informationem dicta sint, quæ omnia, utì & opposita, in duplici aliàs classe numerata, Religionis virtuti vitia, practicis casuum resolutionibus amodo innotescent

Priora omnia in P. Suarez L. 1. de Relig. Azor P. 1 L. 9. C. 10 Lessio L. 1. de Justitia C. 36. Gregorio de Valentia in 2dam 2dæ D. Thomæ fundata.

§ I.

Quid de Cultu DEI sentiendum fideli?

Difficultatum Theoretica Series.

1. ANsbertus Sacerdos excommunicatus & idcirco prohibitus, nè excommunicationis tempore Missæ Sacrificium DEO offerat, contra manifestam Ecclesiæ prohibitionem Cœli Dominum publicè sacrificando colit. *Quær:*

An

An ille Sacerdos absque superstitione id præstare queat? Et quid sentiendum de Ministerio Altaris, Sacerdotis excommunicati?

2dò *Bartorius*, terminato 40. dierum legali jejunio, contra communem ac universalem Ecclesiæ Orthodoxæ morem, ipsa DominicæResurrectionis die à 2da refectione abstinet. *Quær:* An jejunando die Dominico sit actus superstitionis? Itèm quale peccatum sit? Et an lex prohibens Dominicale jejunium pro nunc sit penitùs abrogata. 3tiò *Calitropa* pueruli Neonati gerula, ut à malis occurrentibus pusionem suæ curæ commissum præservet, amuleta, & periapta collo illius appendit, quibus certæ verborum, characterum figuræ vel constellationum signa imprimuntur. *Quær:* An licitè id faciat gerula? & cui virtuti & efficaciæ tribuenda sit illa depulsio malorum? 4tò *Diaphrastes* pridie festi Beatissimæ Matris Purificatæ, quæ dies Dominica est, jejunium Ecclesiasticum rigorosè observat, eò quòd se ante paucos annos votô obstrinxerit, nunquam in vigiliis Marianis bis comedendi ad satietatem. *Quær:* An citra superstitionem jejunare possit in honorem Beatissimæ Matris aliorúmque Sanctorum? Et quid Diaphrastem imposterum agere oporteat? Si dies Dominicus vigilia sit Mariana? 5tò *Epictetus* Advocatus svadet Clienti suo, ut is causam in judicio non citiùs, quàm 7mo hebdomadæ die agat, quòd impar ac cumprimis numerus septenarius tractandis negotiis Curialibus sit & aptissimus, & felicissimus. *Quær:* An Consilium

Epicteti non ſit ſuperſtitioſum? Et an pro hoc conſilio proxeneticum accipiens Advocatus non teneatur ad reſtitutionem? *6tò Fronellus* faber lignarius operas ſuas locat, operámque præſtat ad extruenda fana & idolorum delubra, imò aras ſacrificiis ſuperſtitioſis deſtinatas, ipſe manibus propriis adaptat. ? *Quær:* An non committat ſuperſtitionem? Et quid ſi metu mortis adactus iſta faciat? *7mò Caſſendus* loci Dominus ſynagogam Judæorum, quæ præſentiſſimam ruinam minatur, non quidem ſuo labore reparat, lapides tamen, calcem & ligna ad eam reficiendam & muniendam judæis divendit? *Quær:* An poſſit citra notam ſuperſtitionis Caſſendus permittere hebræis reparationem ſynagogæ? iíſque inſuper, pro inſtaurando, materialia ſuppeditare? Et utrum queat ipſis vendi domus, quâ ad ſuas ſuperſtitiones certò ſunt abuſuri? *8vò Hierotheus* cum fidentiori amico ſuo pactum init, ut qui eorum præmortuus fuerit ſuperſtiti appareat, ipſúmque de vitæ alterius ſtatu, in quo tunc verſabitur, penitùs edoceat. *Quær:* An factum hoc non ſit divinatio? & an curioſitas illa immunis ſit ab omni culpa? *9nò Iphygenia* ſomniat, nè die altera ponè domum caſtigatoriam ambulare præſumat, quòd ibidem pudicitiæ illius ab amaſio locandæ ſint inſidiæ. *Quær:* an ſomniis fidem dando non committat peccatum divinationis? Et utrum Iphigenia potuerit licitè abſtinere ab ambulatione, quam illi damnoſam futuram, repræſentabat ſomnium? *10mò Kollanus* tribus noctibus continuis,

admo-

admoneri sibi videbatur à DEO in somnis, ut Religionem celeberrimam, Canonicorum Regularium Lateranensium ingrediatur; quærit ergo ex Confessario suo, an citra divinationem possit investigare, utrum somnium istud sit à DEO? *Quær*: Quid Confessarius ei respondere debeat? & quomodo fieri oporteat somniorum conjecturam? quídve agendum sit Kollano, si Confessarius illud somnium, judicet esse DEI monentis opus. *11mò Lambridius cum Lycostrato*, æqualibus suffragiis eliguntur ad dignitatem Abbatialem; constituitur ergo ipsorum Capitularium consensu, ut electio hæc per sortes divinatorias dirimatur? *Quær*: An rectè? & num in ejusmodi electionibus etiam licitæ sint sortes consultoriæ? *12mò Mantellus* lusor insignis, cum minùs faventem experitur fortunam, locum frequentiùs mutat. *Quær*: an non subsit vana observantia? aut quô modô loci mutatio fieri queat in lusu absque peccato? *13tiò Nigronius* in causa criminali Magorum judex, ad infringendas dæmonis vires, maleficis capillos abradi, eorúmque corpora collotenus aquæ fluviatili immergi facit. *Quær*: An id fieri queat absque vana observantia? Et quid si judex per illam capillorum rasionem, aut corporum lotionem putaret destrui vires naturales causarum, quibus adhibitis, solebat nocere magus? *14tò Ontomarchus* membrorum stupore per magiam correptus, ut à malo ocyùs eliberetur, postulat à dœmone maleficii solutionem? *Quær*: An licitè & quô pactô saltèm aliquis possit tra-

ctare cum dœmone, ut vis maleficii cessset. *Isto Porphyrius* Ædituus, ut celebratæ formæ puellam in lascivos pertrahat amores, partem hostiæ consecratæ suffuratur ex tabernaculo, cui sanguine proprio quædam verba turpia inserit, eàmque infra linteum in altari portatili collocat, atque supra eandem 6. Missæ sacrificia à rotundæ conscientiæ Sacerdote celebrari curat; postea verò in pulveres redactam puellæ maleficiandæ in potu sumendam porrigit. *Quær:* Quid sentiendum de actione Porphyrii? & quibus mediis licitè dissolvi queat maleficium amatorium? itèm quid observandum Confessario circa Confessiones maleficorum?

§ II.

Difficultatum practicæ Solutiones.

R. *ad* 1. PEr se loquendo superstitionis reum omnino esse Ansbertum; quia is excommunicationis censurâ irretitus Missæ sacrificium DEO Omnipotenti obtulit. Ratio est: quia falsus superstitionis cultus dupliciter contingere solet, nimirum: vel ex parte colentis, vel ex parte medii, quod assumitur ad cultum; ex parte colentis contingit falsitas, si quis cultu publico fingat se colere DEUM, nomine Christi, & Ecclesiæ, cùm tamen nec Christus, nec etiam Ecclesia hanc ei facultatem tribuat; ùt probat Suarez Tom. 1. de Relig. L. 2. de Superst. C. 2. à N. 15. Sanchez L. 2. in Decal. C. 37.

N. 3.

N. 3. Atqui Ansberto Sacerdoti excommunicato illo tempore, quo censurâ excommunicationis notatus est, nullam tribuit, nec Christus, nec etiam Ecclesia facultatem ad colendum DEUM per incruentum Missæ sacrificium, ergo. Prob: à pari: fingens ordinationem Sacerdotalem superstitiosè operatur, si tunc DEO sacrificet, quia Christus & Ecclesia ei pro hoc non concedit potestatem *quoad substantiam*, ergo etiam Ansbertus superstitiosus erit, sacrificium offerendo in excommunicatione, quia tunc ei nulla pro sacrificando tribuitur facultas quoad circumstantiam. Porro, cùm Ansbertus, utpote Sacerdos excommunicatus Ministerium Altaris persolvere ac peragere præsumpserit in censura, incurrit irregularitatem ex delicto, quæ tanquam pœna iis taxatur Sacerdotibus, qui scienter censuram violare attentant.

Ad 2. R. Vel Bartorius jejunium illud ipsa Dominicæ Resurrectionis die observavit ea de causa, quòd existimaret pertinaciter Christum nondum resurrexisse à mortuis? vel sine improbandi Ecclesiæ Præceptum, quod olim vetabat Dominicale jejunium? si primum: erat superstitiosè hæreticus, cujus error in fide, error est Manichæorum, ex nunc reservatus est in Bulla Cœnæ, adeoque à Confessario ordinario beneficium Sacramentalis Absolutionis indipisci neqvit. Si 2dum: DEI & Ecclesiæ contemptor extitit, quia juxta Castro-Palao Part. 3. Tract. 17. Disput: 1. Puncto 1. N. 6 justissimam Ecclesiæ Legem improbare blasphe-

mum eſt. Quod ſi Bartorius eô duntaxat motivô impulſus, Dominicâ Reſurrectionis jejunavit, ut ſatisfaciat pro peccatis commiſſis, aut ut magìs diſpoſitus ſit ad laudandum DEUM, jejunium illius Dominicale culpa mortalis non erit; veniali tamen peccato obſtrinxit conſcientiam, cùm ſuperfluo ac ſingulari cultu præter Eccleſiæ morem Dominicæ Reſurrectionis feſtum celebrare veritus non ſit; quantumvis lex prohibens Dominicale jejunium pro nunc penitùs ſit abrogata, poſtquam etiam ceſſavit hæreſis Manichæorum, in cujus exterminationem Eccleſia Dominicale jejunium prohibuit. Cap. Sacerdos 26. Q. 7. & Cap. nè quis jejunet, de Conſecrat. Diſt. 3.

Ad 3. R. Peccâſſe graviter Calitropen, utpote commiſſi ſibi neo-nati puſionis gerulam admodum ſuperſtitioſam. Ratio eſt: quia mala nunquam depelluntur, nisì ſimul effectus boni in corporibus & ſubjectis producantur; natura enim, purè in deſtructionem intendendo, non operatur, ùt habet axioma Philoſophorum; effectus ergo quicunque facta malorum depulſione in illo parvulo cauſarentur, deberent ab illis amuletis certâ verborum, characterum, figuræ, aut conſtellationis ſignaturâ notatis produci, vel tanquam à cauſis naturalibus, vel ſupernaturalibus, vel artificialibus; hunc namque triplicem effectuum producendorum ordinem DEUS, Natura, & Ars conſtituit, atqui in nullo genere dictarum cauſarum operarentur amuleta; non in genere cauſæ natura-

turalis, hæc enim motu generativo, vel alterativo terminum suæ effectionis acquirit; non etiam in genere causæ artificialis; ista siquidem operatur universa ad similitudinem ideæ internæ; denique nec causalitati causæ supernaturalis hæc signorum illorum attribuenda est efficientia, & malorum depulsio, seu boni cujusdam in corpus pusionis productio; si enim causalitas illa supernaturalis foret, gratiæ aut miraculi foret; hoc autem dici nequit neque enim id DEUS signis variis ac inanibus amuletorum characteribus appromisit, quod gerula arbitrariò ac temerariè consequi intendit. Quodsi recensita characterum & constellationis signa vim aliquam aut mala dissolvendi, vel bona in corpore pusionis efficiendi habent, eandem duntaxat sortirentur ratione materiæ, si quæ huic, antipathiæ vel sympathiæ naturalis vis, aut facultas insit. Quare dum effectus aliquis producitur, de cujus causa naturali prudenter dubitatur, effectus ille præternaturalis erit, & amuletum hoc ipso superstitiosum. Ita Sanchez L. 2. in Decal. C. 40. Lessius L. 2. de justitia C. 43. Suarez Tomo 1. de Relig. L. 2, C. 15.

Ad 4. ℞. Jejunium Dominicale, pridie festi Beatissimæ Matris Purificatæ ex voti obligatione susceptum, à culpa superstitionis penitùs est immune. Ratio est: quia ad jejunium illud Dominica dies, prorsus per accidens se habet; imò videtur Diaphrastes ex voto etiam pro illa die manere obligatus, est enim votum illud de materia licita, neque majoris boni impeditiva.

Quodsi tamen ejusmodi vigiliæ Marianæ impo-sterum cum Dominica concurrerent, poterit Diaphrastes propria etiam authoritate in diem antecedentem, vel subsequentem commutare voti observationem; videtur námque gratiùs DEO, ob ritum universalis Ecclesiæ die Dominico non jejunantis, jejunium in alium diem transferre. Castro-Palao Tract: 17. de superstit. Disput. 1. Puncto 1. N. 7.

Ad 5. R. Epictetum Advocatum, in his quæ de tractanda in judicio causa die septimo, utpote quoad numerum impari, Clienti suo svaserat, à superstitione excusari non posse. Ratio est: quia numerus numerans est quantitas, quæ Philosophiæ veræ judicio, iners ac omni virtute & operandi facultate destitutum est accidens, imò plurium etiam Catholicorum arbitrio, numerus numerans quiscunque, nihil realitatis à rebus numeratis distinctum habet; quid autem operando producat, quod ipsum solummodo imaginarium est? Et tandem, qua ratione in judicum intellectum, aut voluntatem illabatur vis imparis numeri, quæ materiæ immersa, & per consequens spirituali potentiæ penitùs foret improportionata. Ità cum Doctoribus Catholicis sentiunt Andreas Laurent: L. 8. Histor. anatomi: Q. 10. Leonardus Wairus L. 2. de fasci. C. 11. Cautè igitur legenda, quæ de efficacia numeri imparis majore, quàm pari congerit, nec ità digerit, Petrus Gregorius in Syntaxi artis mirabilis, & videndum etiam, nè quid vanæ superstitionis hauriatur, ex Libro Fabii

Pau-

Paulini de numero ſeptenario, nam, quæ illi ex Platonicorum ſenrentia congeſſerant, Catholicæ Theologiæ parùm ſunt conſentanea. A reſtitutione tamen proxenetici ſaltèm ante ſententiam Judicis, pro conſilio ſuperſtitioſo accepti, abſolvendus erit Advocatus; maximè, ſi is fortè magicæ artis gnarus erat, & pro poſſe ſuo etiam per media ſuperſtitioſa ad hoc cooperatus eſt, ut cauſa Clientis ſui in judicio felicem eventum ſortiretur; etſi fortè effectus re ipſa ſecutus non ſit. Ratio eſt: quia proxeneticum illud, aut pretium aliquod pro re mala acceptum, malum quidem, attamen injuſtum non eſt; ſicuti meretrix, pro turpi uſu corporis oblata, turpiter recipit, at non injuſtè. In probabili tamen ſententia pauperibus reddi poteſt, quia ob turpitudinem commiſſam, videtur Advocatus privari jure illud recuperandi, quod ipſi per legitimam Judicis ſententiam ablatum fuit. Ità Sanchez in Decal. C. 38. Caſtro Palao Part. 3. Tract: 17. Diſput. 2. Puncto 13.

Ad 6. R. Superſtitionis vitiô laborâſſe Fromellum, qui, ùt faber lignarius, operam ſuam, auxilium, opémque contulit, ad extruenda fana, & Idolorum delubra, aráſque ſacrificiis ſuperſtitioſis deſtinatas, manibus propriis adaptavit. Ratio eſt ex S. Th. 2da 2dæ Q. 169. a. 2. ad 4. Quia operari cum paganis in iis, quæ ad ſuperſtitionem ipſorum ſpectant, eſt conſenſum eorum ſuperſtitioni præbere, atqui conſenſus in vitium ſuperſtitionis, eſt ſuperſtitio, ergo.

At-

Atque hæc omnia, si Fromellus etiam mortis metu adactus exercuisset, culpâ tamen superstitionis, animum post omnia obstrinxisset. Ratio est: quia divinum cultum aut aliquid ad eum pertinens rei creatæ vel vanæ deferre, aut saltèm ejusmodi superstitioni cooperari, semper, intrinsecè malum est; quæ autem semper intrinsecè mala sunt, per nullam circumstantiam cohonestari, & licitè fieri, aut exerceri possunt ergo. Ità Azor Parte 1. L. 9. C. 11.

Ad 7. R. Loci Dominus Cassendus, si lapides, calcem & ligna, aliáque materialia, judæis, eo duntaxat fine vendidit, ut synagogas suas reficere & munire queant, cooperatus est judæorum superstitioni, & se criminis hujus obnoxium fecit. Ratio est: Quia synagogæ, pro quibus restaurandis, aut solidandis materialia suppeditavit Cassendus, loca sunt principalissima per se & ex natura sua ad judaicos ritus, & cæremonias peragendas ordinata. Atqui conferre vires ad id, quod per se & ex natura sua ad judaicos ritus & cæremonias, tanquam ad superstitionem præparatum est, est se quoque facere superstitionis complicem, ergo. Quodsi Cassendus materialia, imò & domum judæis vendidisset ad finem naturâ suâ indifferentem, quamvìs novisset, eos rebus illis malè usuros ad superstitionem suam, peccatum superstitionis non commisisset. Ratio est: Quia quod res à Christianis emptæ in malum usum & finem dirigantur, judæorum, qui emunt, vitio, non Christianorum, qui vendunt, culpæ

tri-

tribuendum eſt. Nec lex Chriſtianum hominem adeò adſtringit, ut abſtinere cogatur à vendendo, quod judæus ex malo fine emere poteſt; tum, quia judæi ex depravato voluntatis ſtudio atque affectu delinquunt, tum etiam, quia Chriſtianus res ſuas ſimpliciter venales proponit, nec cum tanto rerum ſuarum detrimento judæi malitiam præpedire tenetur. Cæterum tamen, lege etiam permiſſum eſt, quòd judæi ſeipſis, ſi velint, ſynagogas veteres reparare, ruinoſas atque labantes fulcire poſſint, ùt patet Cap: Conſuluit de judæis, & L. ult. Cod: de judæis. Ità reſolutioni caſus præſentis conformiter ſentit D. Th. 2da 2dæ Q. 169. a. 2. ad 4 Cajet. in ſumma ad 4. Dub: 1. Major in 4. Diſt: 15. Q. 11. § 3.

Ad 8. R. Pactum, quod Hierotheus cum fideliori amico ſuo, de apparendo poſt mortem fecerat, divinatorium non eſt; Ideo: Quia non aliter Hierotheus cum dicto ſuo amico pactum iniit, quàm, quòd ille, qui ex ipſis præmortuus fuerit, alterum de ſua ſalute, déque ſtatu vitæ alterius, in quo tunc verſabitur, DEO ità concedente moniturus ſit, adeoque in toto hoc pacto nîl intendit uterque, quod ope dœmonis conficere vellet; atqui ubi nulla quæritur notitia, dœmonis ope acquirenda, etiam nulla intercedere poteſt divinatio, ergo. At rarò à culpa veniali tale pactum excuſabitur, tum ob curioſitatem vanam, tum ob periculum deceptionis, quod ſæpe in hiſce apparitionibus contingere ſolet. Quare jure optimo ſimi-

les

les curiosos reprehendit Delrio Lib. 2. Disquis. Magic. Q. 26. Sect: 7. Bonacinna Disput. 3. Q. 5.

Ad 9. ℞. Neutiquam peccavit Iphigenia, & somnio suo fidem aliquomodo dando, & ab ambulatione penes Domum Castigatoriam, ubi in somnis videbantur sibi præparatæ insidiæ, die altera abstinendo: Ratio est: quia credere aliqualiter somnio, seu aliqualiter ex illo timere adversum, vel sperare prosperum, non videtur grave divinationis peccatum, cùm enim illud possit esse à DEO, etiamsi regulariter non sit, occasionem præbet alicujus suspicionis. Ex quo fit, Iphigeniam absque peccato gravi potuisse ob somnium habitum ambulationem suam intermittere; omissio enim ejusmodi fuit, quæ nulli naturæ, DEI aut Ecclesiæ præcepto contrariabatur. Ità Less. L. 2. C. 43. Navarrus C. 11. N. 33. Cajet. verbô: somniorum observatio. Aliud tamen de Iphigenia foret sentiendum, si ipsa non tantùm in casu præsenti, sed continuè ex somniis ad operandum, vel aliquid omittendum moveretur; tunc enim à gravi divinationis peccato neutiquam excusaretur, eò, quòd facilè evinceretur, eam fidem somniis adhibere majorem, quàm par sit. Suarez L. 2. de superst. C. 13. N. 20.

Ad 10. ℞. Debet Confessarius Kollano ad propositam in casu quæstionem reponere, ipsi omninò integrum ac licitum fore, investigare, à qua causa triplex illud somnium proveniat, an ex dispositione corporis, an à DEO, vel ma-

lo ſpiritu. Ratio eſt : quia in hac inveſtigatione ſolùm intenditur cujuſdam veritatis cognitio, quæ utilis eſt, vel eſſe poteſt ad futurum vitæ ſtatum. Atque exemplô antiquorum Patrum ſomniorum cauſas inveſtigantium id conficere valet. Sic Pererius L. 1. in Dan. Sanchez L. 2. in Decal: C. 38. Affirmant ſententiam hanc omnium eſſe. Ad conjecturandum autem, utrum ſomnia, futuros quoſdam eventus ſignificantia à DEO ſint, aliqua media deſumi poſſunt, ex modo ſomniorum, ex diſpoſitione, quam relinquunt, & ex fine ad quem impellunt. Si enim ſomnia inhoneſta ſint, vel ad malum impellant, aut animum turbatum relinquant, ſignum erit, à malo illa ſpiritu immitti. At ſi ſomnia honeſta ſint, promptiorémque hominem reddant ad bene operandum, indicium eſt, ea à DEO provenire, non tamen certum id eſt, cùm ſæpe dœmon in angelum lucis ſe transfiguret, ut faciliùs poſtea decipiat. Evenire autem aliquando effectum, prout in ſomno repræſentatus eſt, non erit indicium, fuiſſe à DEO ſomnium immiſſum, tum, quia caſu id evenire potuit, tum, quia ſæpe dœmon id procurat, ut ità eveniat, quò demum ampliùs hominem decipere queat. Juxta illud Devt: 13. *ſi ſurrexerit Prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & evenerit, quod locutus eſt, non audies verba Prophetæ illius aut ſomniatoris.* Quapropter Conſilio Confeſſarii vel viri prudentis hac in parte ſtandum erit. Si ergo is ſomnium Kollani à DEO immiſſum fuiſ-

fuiſſe judicaverit, poterit illi fidem habere, & ſecundùm illud operari. Ità Suarez L. 2. de ſuperſt: C. 13. Valentia in 2dam 2dæ Diſput. 6. Q. 12.

Ad 11. R. Lampridii & Lycoſtrati æqualibus ſuffragiis ad dignitatem Abbatialem Electio, licitè dirimi per ſortes divinatorias non poterat. Ità cum aliis antiquioribus Sanchez L. 2. C. 38. & 74. Suarez L. 2. de ſuperſt: N. 7. ratio eſt: quia dum ſuffragia æqualia ſunt, nullus poteſt dici ad officium, vel beneficium legitimè electus à majore parte Capituli, ergo quando Capitulum conſentit, ut dignitas illi obveniat, & omnibus præferatur, cui ſors obtigerit, jam hoc ipſo mediis ſortibus facit electionem: quod eſt contra jus Canonicum: C. fin. de ſortibus: go. Nunc ſortes conſultorias quod attinet, an & hæ in Electoribus licitè adhiberi poſſint, dicendum eſt, per ſe loquendo, ſi debitô modô fiant, licitè adhiberi poſſe; hoc eſt: ſi fiant neceſſitate urgente, & cum debita reverentia, ſpecialíque DEI inſtinctu; his námque conditionibus obſervatis, nulla prorſus apparet malitia in ſortibus, quin potiùs Religionis actus reſplendet; ùt probari poteſt exemplis tum Veteris, tum Novi Teſtamenti; ſpecialiter ex illo facto Joſue 7. qui ſortem miſit ad cognoſcendum malefactorem occultum; & ex facto Apoſtolorum, Act: 1. qui ad eligendum S. Mathiam locò Judæ ſortem miſerunt. Suffragatur etiam ratio; quia in tali caſu licitum eſt explorare divinam voluntatem, quando

do circumſtantiæ exigunt, ut ſciatur, quid ſit agendum, atque in circumſtantia electionis non apparet aptius ſignum ad cognoſcendum, quid DEUS fieri velit, quàm ſortes conſultoriæ: juxta illud Prov. 16. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.* Ità ex omnium ſenſu tradit Suarez L. 2. de ſuperſt. Cap: 12. Bonacinna Diſput: 3. Leſſ. L. 3. de Juſtit: Cap: 43.

Ad 12. R. De vanæ obſervantiæ malitia, condemnandus non videtur *Mantellus*, dum is minùs faventem in luſu expertus Fortunam locum frequenter mutavit; Ratio eſt: quia ordinariè à ludentibus firma non adhibetur fides, quòd nempe tali medio inepto ſuum conſecuturi ſint intentum; ſed ad ſummum fortè ſperant mutandam eo caſu fortunam; atqui in ſimili ſpe nulla prorſus apparet vana obſervantia, ergo. Ut igitur luſor vanæ obſervantiæ ſe reum non faciat, ſpe alia, quàm nunc dictum fuerit, in luſu mutationem loci aggredi ipſi integrum non erit; unde, qui eo fine mutant locum, ut infelicem fortunam abjiciant, & bonam concilient, credúntque firmiter hoc pacto ſe intentum conſecuturos, absque dubio peccatum mortale vanæ obſervantiæ committunt, cùm enim talis effectus ſperari non poſſit à DEO, convincitur: ſperandum eſſe à dœmone; Ità Alcazar Lib. 2. de ludo Cap: 2. Hìc etiam bene advertit Sanchez L. 2. in Decal: Cap: 20. Conſulere Aſtrologos, quâ horâ ludendum ſit, ut feliciter luſus procedat, mortale eſſe; ex aſtrologia enim nequaquam cognoſci poteſt vi-

ctoria in lusu, ergo si id agnoscitur, est ex dœmonis scientia, quæ licèt ad hæc futura non extendatur, illa tamen revelat ignaris, & postea procurat effectum promissum implere, ut sic homines ad se pertrahat, & deceptos in cassibus suis fortiùs attineat.

Ad 13. R. Poterat securâ conscientiâ *Nigronius* in casu criminali Magorum Judex, ad infringendas dœmonis vires, maleficis curare abradi capillos, eorúmque corpora aquæ immergi facere, si prudenter timuit, nè in pilis ipsis, aut partibus corporis maleficium resideat, ibidémque occultetur, quò ipsi insensibiles tormenta eludant; Ratio est: quia absque magia dissolvere pactum, & tollere dœmoni fundamenta operandi, nulla lege prohibitum est, ùt ait Lessius L. 2. Cap; 44. atqui Judex nîl aliud intendit per illam corporis lotionem aut capillorum abrasionem, quàm diffringere pactum, & tollere dœmoni fundamenta operandi, ergo. *Neque obstat* dicere: dœmonem iis sublatis, omníque maleficio destructo adhuc posse nocere, & magos insensibiles reddere, ergo supervacaneum tale est medium; *non obstat* inquam, quia regulariter DEUS non permittit dœmonem operari, nisì in vi pacti cum malefico, & positô signô, ùt bene ait Suarez L. 2. de superst: Cap: 17., hinc tale medium supervacaneum non erit. Si autem crederet *Nigronius* per illam lotionem aut tonsuram vires naturales amitti, superstitiosus foret, quia ex nullo principio, & fundamento convincente lotio

illa

illa & tonſura eſſe poteſt cauſa, nisi arte dœmonis, ad talem effectum.

Ad 14. R. Citra magiam non potuit à dœmone poſtulare *Onthomarchus* maleficii ſolutionem, in caſu; ità ſentiunt in materia hac admodum experti, cumprimis Delrio, Lib: 6. diſquiſit: Magic. Cap: 2. Sanchez L. 7. de matrimonio Diſput: 95. Ratio eſt: Quia ejuſmodi petitio, ut dœmon maleficium diſſolvat, vel à nocumento ceſſet, eſt ſignum ſubmiſſionis & indigentiæ in petente, & ſuperioritatis ac poteſtatis in eo, ad quem petitio defertur; jam autem, hominem Chriſti ſanguine redemptum, ſe dœmoni ſubmittere, ejúsque poteſtati, itèm auxilio & ope ipſius indigere, illúmque ad ſubveniendum potentem recognoſcere, eſt graviſſima Divinæ Majeſtati irrogata injuria, ergo. Licèt autem maleficii ſolutionem poſtulare à dœmone ſit culpam magicæ ſuperſtitionis incurrere, poterit attamen maleficiatus *Onthomarchus* dœmoni indignari, illúmque objurgare, & contemnere dicendo: ceſſa tandem malefacere, & vincula iniquitatis diſſolve, utquid malè facis? Talia enim oggerere, eſt tantundem, ac cani dicere: foras canes. Sic rurſum Suarez cum Leſſio cit.

Ad 15. R. *Porphyrium* Æditum maleficiô amatoriô uſum præter malitiam luxuriæ in ſua ſpecie infima, & atoma etiam contraxiſſe reatum magicæ & ſacrilegæ ſuperſtitionis, quæ juxta Epiphanium per phyltra, & juxta Irenæum per cariteſiam exerceri ſolet. Ratio eſt: Quia *Porphyrius* utendo maleficiô amatoriô ad

pertrahendam puellæ formosæ in lascivos amores voluntatem, usus est armis materialibus, & per consequens auxiliô dœmonis ad debellandum Spiritum; fide autem certum est, dœmones in potentias spirituales animæ nullam vim habere, aut potestatem, cumprimis in voluntatem humanam, cùm & supremus rerum Dominus animam hominis posuerit in manu consilii sui; quidquid ergo stante tali phyltro, & maleficio amatorio sequeretur effectûs in puella maleficiata, præcisè attribuendum foret dœmoni, in quantùm ille magis, multa suppeditat pharmaca, quæ vim naturalem habent turbandi humores, incitandi semen, totum corpus calore lascivo inflammandi; etsi nullæ res tales invenirentur, prout in posito casu reperiri vix videntur, poterat dœmon rebus usus fuisse, tanquam signis conventis, & deinde juxta pactum ipse per se & turbationem, & pruritum, & calorem in corpus induxisse, simúlque puellæ importunam suggestionem imaginationi, quasi amasius dignus foret amore, vivaciter objecisse, & sic in hujus amorem inflexisse poterat; sed nonnisì puellam volentem. Si infeliciter ejusmodi maleficia amatoria, & phyltra in cibo aut potu sumerentur, licebit sumenti mediis quibusdam uti, tam naturalibus seu materialibus, quàm sacris & spiritualibus ad infringendam vim maleficii. Naturalia esse possunt medicamenta quædam maniam purgantia & ardorem libidinis temperantia, dummodo noxia non sint valetudini; spiritualia &

opti-

optima sunt, tum illa, quæ universim contra maleficia omnia vim habent, ùt sunt: illa, quæ ab Ecclesia præscribuntur, atque ordinariè adhibentur, tum etiam quædam moralia, quibus caro maceràtur, & concupiscentia domatur. Tenebitur etiam sic maleficiatus vitare conspectum rei amatæ, otium & alia libidinis incitamenta. Ità Delrio Disquis. Magic. L. 3. Parte 1. Q. 3 Sect: 2. & 3. Nunc quæ Confessario universim circa maleficos observanda veniunt, illa sunt: 1mò: exploret ex illis, quale pactum cum dœmone, an explicitum nempe, an implicitum tantùm habuerint? an ex pacto cum dœmone inito abjuraverint Christum, Ejúsque fidem? id enim si à malefico actum fuisset, illicò dissolvendum foret pactum per veram & sinceram sacramentalem Pœnitentiam; restitutione enim chyrographi opus non erit; quamvìs, si illud in manibus malefici esset, destrui quantocyus deberet, nè apud eum subinde repertum alios scandalizaret. ità Suarez, Sanchez, Bonacinna. 2dò. Examinandus erit specialiter maleficus, an Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento sacrilegè abusus non sit, & utrùm satanæ divinos honores non exhibuerit? 3tiò. An meleficio suo hæresim aliquam non conjunxerit, sic enim incurrisset excommunicationem Bullæ Cœnæ, ob quam ab ordinario Confessario nequaquam absolvi posset. 4tò. Quibus verbis usus fuerit pro maleficiis? an non etiam sacris? Quodsi ità, sacrilegii malitiam contraxit; peculiariter quoque interrogari deberet,

an maleficia finè novis maleficiis per ſigna contraria & oppoſita diſſolvere queat? Quodſi ſe præſtare poſſe affirmet, ante abſolutionem datam ad id obligandus erit. Denique 5tò. An proximo reipſa non nocuerit, eum occidendo aut mutilando, domum, résque illius in favillas & cineres agendo? tunc enim reſtitutionis obligatio ei imponatur; ſi inſuper per maleficium Clericum occidit, præter irregularitatem ipsô factô excommunicationem incurrit.

§ III.

Quomodo? Quando? Ubi verus cultus exhibendus DEO à Fideli?

Difficultatum Theoretica Series.

Imò. Q*Vericus* Venator, vitæ aliàs probatæ homo, Chriſti Crucifixi imaginem quercui affixam adorat, ut fortunatiorem interdiu experiatur ferarum capturam; quam voce articulata ei perſæpe Chriſtus è cruce pendens appromittit. *Quær*: an cultu latrevtico adorandus ſit Chriſtus? & quid ſi dubitetur, an non per Crucifixum loquentem promiſſionem faciat venatori larvatus Dœmon? *2dò. Rotarius* ſegniore rituum ſacrorum obſervatione, peragi Miſſæ ſacrificium advertit à Sacerdote quopiam, quare dubiô tangitur, an abſolutè ſit à ſe adoranda Euchariſtia. *Quær*: Quid ei reſpondere Confeſſarius debeat, & quo tempore maximè urgeat præceptum cultûs latrevtici? Deinde

an

an ſi appareat infans vel ſanguis in hoſtia conſecrata, ille adorandus ſit adoratione latriæ? 3tiò. *Soſtenes* angitur ſcrupulis, quòd non rarò eundem prorſus cultum ac venerationem exhibeat veſtibus Beatiſſimæ Matris, & quibusdam lineis particulis, acceptis ex ſepulchro D. Franciſci Xaverii Orbis Thaumaturgi, quem aliàs præſtare ſolet DEIparæ Virgini & Sancto Indorum Apoſtolo regnantibus in Cælis. *Quær:* Quô reſponsô Confeſſarii liberandus ſit pœnitens à ſcrupulo? & quotuplici cultu veſtes, & Sanctorum Imagines à nobis coli poſſint? 4tò. *Tirinus* cætera inter peccata ſe ſe reum facit, quòd frequenter ab orando & DEO latrevticè colendo deſtiterit, cùm tamen in ſcriptura legeret illa Apoſtoli verba ad Teſſal: Cap: 5. *ſinè intermiſſione orate.* *Quær:* Quomodo intelligendus impoſterum veniat Tirino Scripturæ textus? & quô pactô commodiſſimè fieri poſſit, ut ſemper ac indeſinenter DEUM latrevticè colamus? 5tò. *Viſcontius* Sacerdos linguarum complurium gnarus, græco ſermone utitur in decantandis horis canonicis. *Quær:* An non peccet *Viſcontius* Sacerdos Regularis? & quâ linguâ potiſſimùm ab hominibus colendus ſit DEUS? 6tò. *Xenophon* criminibus multis gravatam habens conſcientiam, DEUM adorando, latrevticè colit, precésque omnes in peccatis conſtitutus abſolvit, tum illas, quæ publicè ſæpiùs perſolvuntur à fidelibus, tum iſtas, quæ privatæ devotionis ſunt exercitium? *Quær:* An non peccet, qui peccatis irretitus orat? &

quô locô Cæli Domino cultus latrevticus ſit exhibendus? 7timò. *Ignoſtius* ſtante jubilæo Romano DEO ſacrificium offert ad Altare privilegiatum, applicátque Indulgentiam plenariam Parenti ante annos demortuo. *Quær*: An cultus ille publicus debitô locô exhibeatur DEO? Quæque indulgentiæ per cultum illum obtineri? Quibúsque ſubjectis applicari poſſint? Itèm quæ pro nunc extra Urbem ſuſpenſæ ſint indulgentiæ. 8vò. *Zozomenus* per ſacrificium Novæ Legis, cultum exhibiturus DEO, animam defuncti ſui hoſtis à communi defunctorum memento excludit. *Quær*: An licitè & pro quibus in memento ſeu vivorum, ſeu mortuorum, orare teneatur Sacerdos?

§ IV.

Difficultatum practicæ Solutiones

Ad 1. R. NIhil prohibet, quò minùs *Qvericus* Venator, Crucifixi Imaginem cultu latrevtico veneretur. Ratio eſt: quia cultus latrevticus terminatur immediatè ad Perſonam, quam latrevticè colendo proſequitur venator; atqui Illa Perſona eſt Divina, adeoque hoc cultu digna, ergo. Quando igitur Chriſto è cruce pendenti exhibetur veneratio à fidelibus, nec lignum, nec ſaxum, nec aurum, nec argentum, ſed Perſona repræſentata adoratur. Hoc modo juxta Cajet: 3. P. Q. 25. a. 3. cultus Latriæ Crucifixo eſt debitus, quia in Chriſto ſiſtit propter Ipſum, & tanquam in objecto ultimo

timo, in Imagine verò repræſentante terminatur non propter ipſam, ſed propter exemplar, quod refert. Ità cum Theologis D. Th. P. 3. Q. 25. a. 3. & 4. Quodſi tamen prudenter dubitaretur, an per Crucifixi Imaginem promiſſionem Venatori non faciat larvatus dœmon, tali dubio ſtante, omnino nefas foret, Imagini cultum tribuere, quamvìs Chriſtum in Cælo viventem referat; hìc enim in dubio operari, eſt ſe indifferenter paratum ac promptum ad exercendam Idololatriam oſtendere, quod utique patet non licere. Si tamen cum probabilitate *Qvericus* crederet eſſe Chriſtum, qui ſibi frequenter in ſilva loquitur, tutâ conſcientiâ abſolutè, & ſimpliciter cultum Crucifixo deferre poſſet, quia operari etiam in materia Religionis ex ſententia ſufficienter probabili rationi ac dictamini conſentaneum eſt; atqui eô modô exerceret operationem ſuam *Qvericus* Venator, ergo. Ità cum S. Bonavent. in 3. Diſt: 9. a. 1. Q. 6. Probati Theologi. *Si quæras*: utrùm Natura humana Chriſti Domini adoranda ſit adoratione latriæ? Dico cum P. Viva, ex communi ſenſu apud Suarez de Incarn: Diſput: 53. Negativè, cùm ſit quid creatum; quia tamen talis Natura unita eſt Perſonæ increatæ, & quia Sanctitate & Gratia reliquos Sanctos antecellit, ideo adoratione hyperduliæ adoranda eſt. Sed cum Vaſquez & Bonacinna animadvertendum, quòd quamvìs humanitas Chriſti per intellectum à Verbo ſeparata adorari poſſit hyperduliæ adoratione,

NB in praxi ſemper debet Chriſtus adorari adoratione Latriæ; ideo: quia ſemper Humanitas à parte rei eſt unita Verbo, & quia Chriſtus Dominus debet adorari adoratione debita ſupremæ ſuæ excellentiæ; ferè ſicut Rex, licèt habeat plures dignitates, comitis, Ducis, aut Principis, & Regis, ſemper honoratur honore debito ſupremæ ſuæ dignitati, nempe Regiæ. Ità Dominic. Viva de Legib: & Præcept: Decal: Q. 4. a. 1.

Ad 2. ℞. Dubitanti *Rotario*, num à ſe abſolutè adoranda ſit Euchariſtia in caſu; reſpondere poterit Confeſſarius, plus æquô anxiam, & ſcrupuloſam, hanc eſſe animadverſionem & ſolicitudinem, & vel ideo deinceps per contemptum, ùt diaboli tentationem rejiciendam, eò: quòd in re tanti momenti quilibet aliàs non malitioſus Sacerdos, & ſuo, & Sacramenti bono conſulere ſatagat; ſi tamen impoſterum juſtum ei ſuper puncto hoc dubium occurreret, adhuc illud deponere deberet; Ratio eſt: quia eouſque credendum non eſt, aut Miniſtro animum, & voluntatem defuiſſe conficiendi Corpus Dominicum, aut neceſſariam & debitam Sacramenti materiam vel formam abfuiſſe, quouſque oppoſitum certò non conſtat; Nónne Magiſtratus Reipublicæ veneramur & colimus, etiamſi fieri poſſit, ùt falſi hi ſuppoſititii & adulterini ſint. Tenendum ergo eſt cum D. Th: Bonavent:, Alexandro, & Alberto, & communi Theologorum, Euchariſtiam cultu & veneratione conditionata ſemper

ado-

adorandam esse, sic tamen, ut conditio illa tacitè duntaxat & implicitè, non autem expressè ac explicitè importetur; eô etiam animô, & voluntate, affectúque esse debemus, ut, si panis consecratus non esset, minimè veneraremur; at verò prudentis viri est, ut putet panem esse ritè & legitimè consecratum, qui publicè populo ad cultum & venerationem cumprimis in Missæ sacrificio adorandus proponitur. Nunc Præceptum cultûs latrevtici ut responsô attingamus, censeo cum Sylvestro, V: *Oratio*, tunc obligari singulos ad DEUM cultu latrevtico adorandum, cùm primùm usum rationis attingunt. Deinde, cum probitas & virtus cujusque, hostium telis vehementer tentata, agitatur; postremò, quando quis indiget remediô ad vitam spiritualem vel temporalem necessariô conservandam. De reliquo multa sunt tempora, quibus determinatè obligat præceptum DEUM latrevticè colendi, & talia sunt, quæ Romanorum Pontificum, vel Episcoporum, aliorúmque superiorum præscriptô sapienter sunt constituta, vel quæ jure jurando, aut votô privatô Domino promittuntur, aut denique, quæ propriæ conscientiæ impulsu electa observantur. Ità Azor P. 1. L. 9. C. 10. Ex Durando, & Paludano. Tandem *ad 3. quæsitum* respono: adorandam quidem esse tunc regulariter hostiam consecratam, quia plerumque istæ apparitiones fiunt absque mutatione reali specierum Sacramentalium; sed non esse adorandum adoratione Latriæ id, quod apparet visibiliter

sub

ſub ſpecie infantis, aut carnis, vel ſanguinis Chriſti. Ità Azor & Suarez Tomo 3. in 3. P. Diſput: 55. contra Alenſem, Gabrielem &c. Atque hoc ideo: quia id, quod apparet, non eſt revera Chriſtus Dominus, vel Ejus ſanguis, ſed ſolùm colore & figura illum refert, cùm id ſatìs ſit ad finem, propter quem tale miraculum fit, nec eſt neceſſe multiplicare aliud miraculum, quòd ſcilicet Chriſtus Dominus in rei veritate Infans efficiatur; unde id, quod in Euchariſtia apparet inſtar infantis, adorandum eſt eo tantùm cultu, quô res aliæ ſacræ adorantur, non verò adoratione latriæ. Ità Azor & ex illo Viva Q. 4. a. 1. N. 9. Part. 2.

Ad 3. R. Prudentem ac diſcretum Confeſſarium ità oportet ſcrupulum tollere pœnitenti *Soſteni*: ipſum nempe laudabiliter egiſſe, quòd eundem cultum exhibuerit veſtibus Beatiſſimæ Matris & reliquiis S. Xaverii, quô ipſos in Cælis regnantes aliàs proſequebatur. Ratio reſolutionis firmatur à paritate rationis; ſic Legatus Regis honorari poteſt eadem veneratione, qua Rex, quia tunc in Legato Regem ipſum veneramur. Ergo etiam veſtes, imagines, & reliquiæ eodem cultu celebrari poſſunt, quô illi, quorum dignitatem & excellentiam, aut ſimilitudinem iſta figurant. Sic etiam in Scripturis Angelus locum DEI tenens loquebatur, perinde, acſi DEUS loqueretur; *Ego Dominus*; Et iterum: homines Angelum quaſi DEUM alloquebantur; *Domine* inquit Moyſes, *ſi inveni gratiam in conſpectu Tuo.* Nihil ergo vetat hæc

om-

omnia coli ac honorari ab hominibus, & quidem honore, atque cultu duplici; primò, eodem, propter ipſum Prototypon & Exemplar, quod illa repræſentant; 2dò. etiam quodammodo propter ſe independenter à ſanctis Cæli Civibus per iſta repræſentatis; Ratio hujus aſſerti eſt: quia etiam veſtes, aut imagines ſe ſolis acceptæ, res ſacræ piíſque uſibus dicatæ, & ad DEI, Sanctorúmque venerationem oblatæ ſunt; Atqui hujusmodi rebus honor indubiè debetur, cultus, atque veneratio, ergo. Ità cum Orthodoxis affirmat S. Aug: L. 22. de Civit. & Epiſt: 139. S Ambros. Epiſt: ult: ad Soror. Iterum ſerm: 91. & 92. *Quæres*: An, qui cultus debetur cineribus alicujus Sancti, talis etiam vermibus ex ejus cadavere genitis exhiberi poſſit? R. Negativè. Ideo: quia in morali æſtimatione ſolùm cineres repræſentant Sanctum Illum, non verò vermes. Viva P. 2. de Præcept: Q. 4. a. 1. N. 6.

Ad 4. R. *Tirino* reponendum eſt; totam hanc perplexitatem conſcientiæ oriri ex malè intellecto Scripturæ textu, verbìsque Apoſtoli: *ſinè intermiſſione orate.* Illa enim oportet intelligi ità, ut tempora, locáque omnia pro viribus & poſſe noſtro obſerventur, in quibus commoda orandi ſe nobis obtulerit occaſio. Commodiſſimè igitur ſemper coli, & indeſinenter honorari à nobis poteſt latrevticè DEUS, dum nunquam à bene operando, operibúsque omnibus ſubjectionem erga ſupremum Dominum teſtando, deſiſtimus. S. Th. 2da 2dæ Q. 83.

Q. 83. a. 3. docet hoc modo semper orandum, quatenus nunquam à causa orationis judicat esse cessandum; causa autem orationis est gratia, & vitæ æternæ desiderium. Sic námque more scripturæ illud dicitur semper fieri, quod certis statísque horis fit, etsi fortè intermedio tempore aliud bonum & honestum agatur.

Ad 5. R. *Viscontium* Sacerdotem regularem, græco sermone utendo in casu, per se loquendo peccare mortaliter. Ratio est: quia quotiescunque aliquis aut publicus, aut quasi publicus Ecclesiæ Minister quidpiam operatur in re majoris momenti à communi, universalis Ecclesiæ ritu, & modo exorbitans, non videtur excusandus à culpa gravi, atqui sic censetur operari *Viscontius*, quia in Ecclesia latina ex decreto Sanctorum Canonum omnia latino sermone peragi est necesse, ergo. Ratio est adhuc à pari: Sacerdos, qui in Ecclesia latina, aut ritu, aut sermone græco sacrificium perageret, omnino lethaliter delinqueret; ergo etiam Sacerdos, qui aut nomine beneficii Ecclesiastici, vel Ordinis, aut Religionis publicè horas Canonicas græcâ linguâ decantaret, mortalis se etiam reum culpæ faceret. Et hæc de precibus publicè persolvendis dicta sint; nam, qui privatim rectè & convenienter DEUM colere voluerint, consultiùs acturi sunt, si eâ linguâ & sermone mentem suam coram DEO effuderint, quam rectiùs callent; affectus enim consequitur Intellectum, ubi autem nullus earum rerum, quæ petuntur & dicuntur, habetur intelle-

ctus,

ctus, aut certè generalis tantùm, ibi exiguus consurgit affectus; quare, nisì aut lex scripta humana, aut mos gentis obstent, homo literarum expers & ignarus, rectiùs. cæteris paribus aget, si precationem Dominicam, & salutationem Angelicam vernaculâ linguâ combibitam, oret, quàm si alium externum & peregrinum sermonem ad DEUM latrevticè colendum adhibeat. Azor. P. 1. L. 9. C. 34.

Ad 6. ℞. *Xenophon* in casu nullum committit peccatum. Ratio est: Quia nullius peccati reus videtur ille, qui aliquid aut omittit, vel facit, ad quod omittendum, aut faciendum nec ulla lex scripta, nec ratio firma cogit; atqui ad non persolvendum preces in peccatis mortalibus constitutum *Xenophontem* nulla lex scripta, aut ratio firma cogit, ergo. Ità Azor. cit Cap: in fine. Quodsi tamen is publicis peccatis obstrictus diceretur orando peccâsse, id eveniet ratione offensionis & scandali, quod præbuit, non autem præcisè, quia oravit publicè. Quô locô autem preces publicæ cultúsque latrevticus DEO exhibendus sit, habetur potissimùm ex determinatione Ecclesiæ. Atque ità ex nunc quidquid de veteri more fuerit, non alibi ex constitutione ac usu Ecclesiæ cultus latrevticus DEO exhibendus est publicè, quàm in Basilicis & templis, atque oratoriis publicis, Episcopi authoritate consecratis, benedictis, aut saltèm erectis, quod & decens, & maximè utile esse ostendit S. Th: 2da 2dæ Q. 84. a. 3. Jam verò privatæ & liberæ preces

ces, etiamsi imperatæ sint, nullum certum locum sibi vendicant regulariter loquendo, atque ideo ubivis, modò honestæ circumstantiæ non desint, DEUS latrevticè ab hominibus coli & honorari potest. Et hoc modo intelligitur illud Apostoli: *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus &c.* Ubi glossa: In omni loco ubicunque sunt, & non solùm in Ecclesia.

Ad 7. ℞. *Ygnostium*, stante etiam jubilæo Romano, ad altare sacrificando, quod privilegiatum dicimus, indulgentiámque applicando Patri demortuo, DEUM omnino, ad illud altare celebrando, loco competente latrevticè coluisse. Ità Lezana in summa, V: *Altare.* Diana P. 9 Tract: 2. Gobat de Jubilæo C. 9. N. 23. Ratio est: Quia tunc DEO cultus latrevticus loco competente exhibetur, quando adoratur locô ab Ecclesia definitô, vel permissô, atqui stante Jubilæo Romano, permittitur ab Ecclesia ad altare privilegiatum sacrificiorum celebratio, & indulgentiæ plenariæ animabus defunctorum facienda applicatio, ergo. Non cessant igitur, regulariter loquendo, neque suspenduntur annô jubilæi extra Urbem, nisì indulgentiæ plenariæ in beneficium vivorum applicari solitæ; Manent annô præsente indulgentiæ concessæ articulo in mortis. Firmæ etiam perseverant facultates, illas impertiendi & communicandi, prout, & quibus aliàs concessum fuit. Remanent in vigore concessæ indulgentiæ orantibus salutationem Angelicam de genu, vel juxta temporum rationem à BENEDICTO XIII.

elar-

elargitæ. Itèm ab INNOCENTIO XI. XII. fidelibus ſanctiſſimum, cum ad infirmos defertur, comitantibus datæ. Iterum ſalvæ remanent Indulgentiæ Altarium privilegiatorum pro fidelibus defunctis, aliæque eôdem modô pro ſolis defunctis conceſſæ. Itèm aliæ quæcunque Indulgentiæ & peccatorum remiſſiones aliàs pro vivis conceſſæ NB ad effectum duntaxat, ut Chriſti fideles illas animabus fidelium defunctorum permodum ſuffragii directè applicare valeant à moderno ſanctiſſimo Patre benigniſſimè conceditur hoc etiam anni decurſu, quô Romæ Porta aurea aperta eſt. Ità extractus Bullæ ſuſpens. & facult. BENED: XIV. annô univerſal: Jubil.

Ad 8. R. *Zozomenum*, animam inimici à memento defunctorum excludentem, licitè non egiſſe. Ità Gobat Tom: 1. Tr. 3. Sect: 1. Ratio eſt: Quia imprimis adverſatus eſt *Zozomenus* obedientiæ, præcipit enim Eccleſia Sacerdotibus, ut in actu tam ſolemni agant apud DEUM Legatos omnium fidelium, ergo. 2dò. Signum ordinarium & commune ex ratione vindictæ impiè negavit hoſti & inimico ſuo. 3tiò. Denique mediô ſacrô abuſus eſt ad perſequendum illum, cujus curam vel ipſa Mater Eccleſia poſt mortem ſuſcipit. Tenetur inſuper quilibet Sacerdos pro fidelibus omnibus vivis atque defunctis in Miſſæ Sacrificio facere memento; cujus ratio eſt: quia ſicut Chriſtus moriendo voluit omnes ſalvos facere, ſic Eccleſia ſponſa Chriſti vult omnes Ope, & auxilio

spirituali ad salutem promovere; ad quod consequendum nîl efficaciùs est, quàm fidelium meminisse in sacrificio, ergo. Hinc Tamburinus L. 2. de sacrif. Missæ C. 2. § 13 condemnat gravis peccati Sacerdotem excludentem positivè suum inimicum à fructu sacrificii Missæ.

CAPUT II.

Fidei veræ mos confirmatus in propugnanda Virtute Religionis, cultu DEI, & Sanctorum à Fideli.

Assero 1. ANimas Sanctorum verè esse beatas ante diem judicii, jámque ex nunc frui visione DEI beatifica. Neque hoc tenere est contra Religionem *Ratio prima est* ex Lucæ 23. Cap: ubi Christus Dismæ illud annunciat: *Hodie mecum eris in Paradiso*; & per Paradisum Ambrosius, Beda & alii Regnum Cælorum intelligunt; atqui istud hodie est ante diem judicii, ergo. *Ratio 2dò.* ex Paulo est 2da ad Cor. 5 sic loquente: *Scimus, quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, ædificationem ex DEO habemus, domum non manufactam, æternam in Cælis.* Et infrà: *quia dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino - audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore & præsentes esse ad Dominum.* Atqui si non videretur DEUS ab animabus justis, nisi post resurrectionem, non diceret Paulus se optare peregrinari à corpore, ut non

pere-

peregrinetur à Domino, ergo; his enim verbis ostendit, esse statum aliquem animæ, in quo peregrinetur à corpore, & non à Domino; Talis autem status nunquam esset, nisì ante resurrectionem videretur DEUS; quia in hac vita peregrinamur à Domino, sed non à corpore; in alia vita post resurrectionem non peregrinabimur, nec à Domino, nec à corpore; ante resurrectionem autem oporteret necessariò peregrinari à Domino, & à corpore, ergo ut detur status, in quo peregrinemur à corpore, sed non à Domino, de quo Paulus loquitur, necesse est, ut ante resurrectionem Spiritus justorum, corpore soluti, DEUM videant, ergo. Confirmat idipsum Paulus *ad Philip: 1. cupio dissolvi*, inquiens, *& esse cum Christo*; sed si animæ servarentur in loco aliquo extra Cælum, frustra hoc desiderâsset Apostolus, quia Christus in Cælis est, ergo. *Ratio est 3tiò* quia Sancti nunc habent meritum vitæ æternæ, si enim non haberent, nunquam illud habituri essent, cùm post finem vitæ hujus, locus non sit ampliùs meriti; ergo etiam nunc habent vitam æternam; certè enim DEUS, qui Levit: 19. scribi jussit: *Non morabitur apud Te opus mercenarii Tui usque manè*; etiam ipse non retinebit mercedem Sanctorum usque ad mundi consummationem; nec enim convenit, ut ii affligantur, qui expertes sunt peccati; quod tamen eveniret; nam spes quæ differtur, affligit animam. *Confirmatur id ex eo*: DEUS non est pronior ad puniendum, quàm ad remune-

randum, ergo cùm jam nunc in tormentis sint impii, etiam nunc præmia sua percipient justi; de impiis hoc ipsum testatur Evangelium ùt Lucæ 16. legitur: *Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno*; ergo. Denique pro asserto militant Patres; ex Græcis: Ignatius in Epist: ad Rom: Dionys. Areop: L. de Ecclesiast: Hierarch: C. 7 Justinus Q. 75. contra Gentes; Irenæus L. 1. C. 2. Origenes Hom: 7. in Levit. Athanasius in vit: Anton: Basilius Hom: in 40. Mart. Gregor. Naz: Orat: in Basil: &c. &c. Ex Latinis Ambrosius L. 7. Epist: 53. Prudent: in Carn: de S. Agnete. Hieron: Epist: ad Marcel: de obitu Leæ. August: in Psalm: 116 Prosper L. 1. de vit: contempl: Leo 1mus Serm: de S. Laurent: Fulgent: de S. Steph: Greg: Papa in Ps. 4. Beda, & Haymo. C. 6. Apocal: &c. &c.

Sed contra: Apud Matth: Cap: 20. ad vesperam Pater Familias Operariis omnibus simul reddit Mercedem; atqui per vesperam intelligitur resurrectio, per denarium vita æterna, ergo *Ità verò* per vesperam significatur generale futurum judicium; quo publicè reddatur omnibus perfecta & adæquata merces; non tamen excluduntur judicia DEI particularia, quibus in obitu uniuscujusque reddatur singulis pars mercedis. Deinde ex allegata parabola illud solùm significatur: minori tempore Patres novi Testamenti laborare, quàm laboraverint Patres Testamenti Veteris, & tamen ad eandem beatitudinem pervenire. Iterum signi-

gnificantur illi, qui in ſenectute convertuntur, ùt ùt breviorem laborem habeant, illis, qui in adoleſcentia converſi ſunt, non minus tamen poſſe præmium adipiſci, ergo. Tandem Parabola ex toto non poteſt eſſe ſignificativa; nunquid enim Operarii accipientes denarium murmurabant? profectò murmur non erit in Cælo. Nónne in Parabola allegata dixit Pater Familias: *an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Profectò oculus nequam non erit in Cælo. Demum: quomodo fieri poteſt, ut merces priùs ſit reddita ultimis, quàm primis, poſteaquam conſtat omnes ſimul Electos eâdem ſententiâ donandos Regno Cælorum, ergo.

Sed contra: Ex Paulo ad Hebr. Cap: 11. *Hi omnes teſtimoniô fidei probati, non acceperunt repromiſſiones DEO pro nobis aliquid melius providente, ut non ſinè nobis conſummarentur*, ergo. *Ità verò* per repromiſſionem ab Apoſtolo commemoratam intelligitur perfecta beatitudo corporis & animæ, quam illi adhuc non habuerunt, nè ſinè nobis habeant, ergo. Deinde illud: *nè ſinè nobis conſummarentur*, non ſignificat idem: ac: nè ſinè nobis remunerarentur, ergo licèt ſinè nobis conſummatam mercedem & animæ & corporis non acceperint, animæ tamen remunerationem ſinè nobis jam habent.

Sed contra: Ex Apocal: 6. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter Verbum DEI*; atqui hæc abſconſio ſub altari ſignificat reconditum receptaculum, in quo extra Cæli ambi-

tum versantur animæ, ergo. *Nequaquam ajo*: Per altare, sub quo sunt animæ, intelligi potest locus extra Cælum; nam Cap: 7. habemus has ipsas animas esse amictas stolis albis ante Thronum DEI, DEóque in Templo Ejus, id est in Cælo servire die ac nocte, ergo

Sed contra: 1. Joan. 3. Cap: *Scimus, quia cùm apparuerit* (Christus in 2do adventu) *Similes Ei erimus, quia videbimus Eum, sicuti est*, ergo. *Ita verò*: tunc similes Ei erimus quoad externam gloriam corporis, quam sinè dubio ante supremum Judicii diem non consequemur, licèt interim beatitudine animæ carituri non simus, si ab omni iniquitate mundi reperti fuerimus, ergo.

Sed contra: Judicium & examen, sive bonorum sive malorum futurum est in novissimo die, ergo præmia & pœnæ differentur ad novissimum diem. Iterum: anima & corpus simul operantur tam bona, quàm mala, ergo simul etiam, & non una sinè altera comparte remunerabuntur. *Ità verò* dies judicii generalis futura est tunc, in qua unicuique adæquata merces reddenda erit, sed tamen ante illud judicium, præcessit aliud particulare, in quo animæ reddita merces 2dùm opera ejus ergo. Neque ista inter se pugnant; nam in priore judicio redduntur præmia privatim, in posteriore dantur manifestè & publicè; ideo etiam dies judicii generalis, dicitur dies Domini, non quòd alii dies non sint dies Domini, sed quòd ille adeò manifestabit Dominum, ut ne-

mo vel Atheus, vel Epicureus ſit, qui hunc eſſe diem Domini non confiteatur, ergo *Ad additum dico*: nullam fieri injuſtitiam, quòd animus absque corpore beatificetur; anima enim ſeparata, eſt capax gloriæ & coronæ, non itèm corpus ſeparatum; inſuper ad opera bona & mala anima concurrit principaliter, corpus tantùm inſtrumentaliter, imò ad eſſentiam ipſam meriti & demeriti, non concurrit per ſe loquendo, nisì ſola anima. conſiſtit enim meritum & demeritum in electione voluntatis, quæ electio à ſola anima procedit, & in ſola anima ſedem habet; ergo. Denique animus & corpus non ſunt duo ſuppoſita, ſicut duo ſodales ſunt, ità: ut uni fiat injuria, ſi prius altero remuneretur, ſed unum ſuppoſitum ſunt ex duabus partibus compoſitum; hoc autem unum ſuppoſitum mavult utique 2dùm alteram partem interim beari, quàm 2dùm neutram, conſequenter alteri nulla fit injuria, quæ volenti non contingit, ergo.

Sed contra: Chriſti anima poſt ſeparationem à corpore non aſcendit ſtatim in Cælum, ſed priùs deſcendit ad inferos, & poſt reſurrectionem carnis tandem in Cælum aſcendit, ergo & Sancti poſt mortem in loco aliquo erunt uſque ad reſurrectionem, quippe Chriſti requies, reſurrectio, & aſcenſio, exemplar fuit noſtræ quietis, reſurrectionis & aſcenſionis; aliàs enim ſervi & diſcipuli ſupra Dominum & Magiſtrum forent, ergo. *Ità verò* Chriſtus moriendo, quieſcendo, reſurgendo & aſcendendo in Cæ-

lum fuit Exemplar noſtrum, quantum ad corpus; nos enim etiam 1mò morimur, 2dò in ſepulchro quieſcimus, 3tiò reſurgemus, ultimò demum in Cælum corporaliter aſcendemus, ſicut Chriſtus fecit. Cæterùm deſcenſio Chriſti ad inferos non pertinet ad exemplar noſtrum, non enim eò deſcendit Chriſtus, ut viam nobis ad inferos demonſtraret, aut inibi locum pararet, ſed ut animas, ibi detentas, educeret; Et hoc fecit ùt Redemptor, quod ad nos non pertinet; tandem Chriſti anima ante reſurrectionem corporis ſui, non aſcendit quidem ad Cælum corporeum, fuit tamen beata formaliter & glorioſa, ergo.

Aſſero 2dò. Chriſti in terris Vicarium rectè omnino atque utiliter canonizare Sanctos, neque in canonizatione errare poſſe dirigente eum Spiritu Sancto, ut citra errorem procedat; neque iſtud aſſerere eſt contra virtutem Religionis. *Ratio eſt 1mò.* Ex fundamento ſcripturæ Eccleſiaſtici 44. *Laudemus Viros glorioſos*; jam autem magìs laudari ac celebres fieri non poſſunt Viri, eximia virtute Clariſſimi, quàm per canonizationem, hoc enim eſt publica laus & teſtimonium ſanctitatis, ergo. *Ratio eſt 2dò.* Ipſe DEUS, dum per Eccleſiaſticum laudavit Viros glorioſos, ùt Enoch, Noë, Abraham, Iſaac, Jacob &c, Canonizationi, in Novo Teſtamento fieri ſolitæ, prælufit; & dum in Novo Teſtamento S. Lucas in actis Stephanum, Jacobum Majorem, Petrum, Paulum, Barnabam, canonizavit, credibile eſt côdem modô

DEUM

DEUM velle, ut deinceps fiat, atque Viri Sancti laudentur & canonizentur, atque à nobis honorentur; jubente id etiam scriptura apud Ecclesiasticum his verbis: *Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia*, ergo. *Ratio est 3tiò.* Quia tunc innocentia vitæ palàm proponitur ad exemplar, juxta quod vitam nostram instituamus; Hinc Paulus ad hebr. 13 monet: *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt Verbum DEI, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Cæterum Sanctos canonizandi authoritas ad solum Romanum Pontificem pertinet, quod indè patet: Sicut enim Christus Dominus solus est, qui in Ecclesia triumphante sanctificat, ùt Ipsemet in Levitico testatur 21. Cap: *Ego Dominus, qui sanctifico eos*; ità in Ecclesia militante ad Christi Vicarium, qui solus est Romanus Pontifex, pertinet sanctificationis approbatio & promulgatio. Præterea, sicut ad solum Romanum Pontificem spectat, quæstionis de fide determinatio & definitio, ità etiam publica & externa Sanctorum veneratio, quæ est quædam fidei protestatio. Denique Papa in actu canonizationis errare non potest, ideo: quia cùm rectè utilitérque agat, canonizando seu publicè testimonium de virorum sanctitate dando, ut immediatè ante probavi, requiritur necessariò, nè erret, alioqui universa Ecclesia DEI deciperetur in re gravi, quod esset contra promissionem Christi Matth: 10. *Portæ inferi non prævalebunt adversùs Eam*; proinde Papa & in

in hoc etiam actu habet infallibilem assistentiam Spiritûs Sancti, cui curæ est, nè Ecclesia graviter decipiatur; unde Papa canonizando, nec errat, nec errare potest, consequenter libera etiam est Ecclesia à timore erroris, recipiendo talem Sanctum; omnésque fideles certi sunt, certitudine fidei, canonizatum esse æternùm in Cælo Beatum & Sanctum.

Sed contra: Pontifex utitur in Canonizatione testimoniis humanis, atqui illa sunt fallibilia. ergo. Insuper Pontifex homo est, ergo fallibilis, sicut alii homines; Scriptum quippe est: omnis homo mendax, ergo & Papa, proinde errare potest, ergo. *Ità verò* testimonia humana ex se quidem sunt fallibilia, sed illis debitè præsuppositis atque exactissimè & diuturno rigore probatis, Canonizatio, quæ deinde sequitur, certa est & infallibilis. Videatur Angelus Rocca Ordinis S. Augustini Apostol. Sacrarii Præf. & Episc. Tagastenus Tomo I. de Canonizat Sanctorum; quæ, qualiter, quomodo requirantur Canonizationem pertractans; quibus lectis, stupebit Sectarius quisquis est, nisì fidem omnem, & celebratissimo Authori & Viris historicis exactissimis impiè denegare velit. Et clarè dispiciet, fallibilitatem à testimoniis humanis, sic deductis, & probatis, longissimè abesse. Denique Papa nihil temerè definire potest tanquam de fide, ergo prudentissimè procedere debet, tunc autem ità proceditur, cum, adhibitis in consilium & testimonium Viris probatissimis, rebúsque omnibus discussis, exactissimè de objecto

cto quopiam agitur ; quæ si omnia præmittantur, ùt fieri svevit in Ecclesia, quis negabit securè Papam deinde ad definitionem faciendam procedere, quæ definitio tunc facta certa est, quia dirigente Spiritu Sancto fit, qui in rebus necessariis atque ad universalem Ecclesiam pertinentibus promissione sua non deest Papæ loquenti ex Cathedra ; tunc quippe Papa non spectatur tantùm ùt homo secundùm Naturam, sed ùt homo ad aliorum instructionem & directionem tanquam Rector universalis propositus, utique à Spiritu Sancto directus, & ex hoc infallibilis, atque neutiquam mendax. Dictum quippe est Apostolis & consequenter Successoribus Petri : *Mittam vobis Spiritum veritatis, & docebit vos omnem veritatem*, ergo. Quinimò, neque singuli homines, quamdiu cum Ecclesia sentiunt errare possunt, dum enim conjuncti sunt Ecclesiæ, habent assistentiam à Spiritu Sancto NB dependenter à Pontifice velut Capite & Conciliis NB. à Pontifice approbatis, quæ velut Cor quodpiam sunt Ecclesiæ. Cæterum illud omnis homo mendax: non urget ; aliàs inferam : ergo omnes Prophetæ, Apostoli, ipse Lutherus, Calvinus & alii sunt mendaces, ergo omnes errare possunt, ergo Lutherani Luthero, nec Calvinistæ Calvino credere debent.

Sed contra : Fides divina nititur revelatione divina, hìc autem nulla apparet revelatio, consequenter credere non possumus fide Divina Canonizatum Beatum esse & Sanctum. *Ità verò* : hæc ipsa Canonizatio est publica revelatio DEI, quòd

quòd ipse Canonizatus sit verè Beatus; quia enim Papa in iis, quæ toti Ecclesiæ sequenda proponit errare non potest, & toti Ecclesiæ tenendum proponat hunc *v. g.* Joannem Nepomucenum esse Beatum & Sanctum, certi sumus id per Papam revelare DEUM, ergo.

Sed contra: Sanctus Augustinus dicit: Multa corpora honorantur in terris, quorum animæ torquentur in Gehenna; quomodo ergo infallibiliter certi sunt Fideles canonizatum esse æternum beatum. *Nequaquam ajo* id dixisse Aurelium, neque enim hæc aut similia verba (ùt testantur periti voluminum Augustini) reperire est in Scriptis tanti Doctoris. Et, si Adversarius ista legit, amabo ubi? quô Tomô? ubi impressio? ergo. Cæterum permisso etiam textu, intelligi is debet, de superbis quibusdam sepulchris, impiis quondam hominibus exstructis, in quibus mali tales honorantur. Tandem sit, dixerit hoc Augustinus, quid concludes? ergo de Canonizatis à vera Ecclesia hominibus ista dixit? falsa est conclusio; possunt enim verba hæc intelligi de Martyribus Donatistarum, quos Secta Donatistica in honore habuit, tanquam veros Martyres, cùm tamen eorum animæ in inferno torqueantur; Martyrem enim non facit pœna, sed causa, ùt ait August: & alii. Iterum intelligi hæc verba possunt de corporibus fraude aliqua suppositis pro corporibus Sanctorum, ergo.

Sed contra: Ex Bellarmino: 1ma. Canonizatio à Leone III. Annô Domini 803. celebrata fuisse cre-

creditur ; cur ergo Ecclesia, si infallibilitatem & potestatem canonizandi habet, tamdiu ex Cathedra tacuit, & Sanctos non divulgavit? *Ità verò* opinantur Viri docti cum Bellarmino à Leone III. Sanctum Suidbertum Episcopum olim Werdensem Annô citatô in Sanctorum numerum relatum, sed NB. solemniter, ità enim, ùt habet Surius Tom. 2. die 11. Martii C. 9. pag. 39 citans S. Ludgerum Episcopum Monasteriensem in Epist. ad Rixfridum Trajectensem Episcopum de miraculis Suidberti ità scribentem: Pridie Nonas Septembris S. Leo Papa de assensu & consensu suorum Cardinalium, cæterorúmque Prælatorum illic coràm adstantium solemniter Suidbertum catalogo Sanctorum Confessorum adscripsit, ergo. Cæteri ante Leonem III. Pontifices, alio aliquo ritu, si non solemni, Sanctorum Canonizationes præstiterunt. Rocca Comment. de Canoniz. Sanct. C. 5. pag. 109. Hinc est, quod idem Author probat & asserit, tempore etiam Diocletiani Imperatoris & Marcellini Papæ & Martyris, circa Annum Domini 296. plus minúsve aliquem canonizandi ritum fuisse. Denique licèt ea solemnitate, qua hodie in canonizandis Sanctis Ecclesia Catholica uti solet, Ecclesiæ primitivæ Sancti, catalogo Beatorum adscripti non fuerint, ritu tamen aliquo in codice referebantur à Notariis & Diaconibus, qui eorundem animi Submissionem, Patientiam, Pietatem, miracula, Actáque omnia & quæcunque sunt, quæ veram hominis Sanctitatem præseferunt, & facilè declarant, jussu

Pon-

Pontificum conſcribebant, res itèm Martyrum & cruciatus atque necem pro fide Chriſti ſuſceptam, literis commendabant. Jámque inde à naſcentis Eccleſiæ primordio juſſu Pontificum Sanctorum Nomina, nec non dies, quibus è vita decedebant in codices referebantur; ſic jam Annô à Verbo Incarnato 93. S. Clemens hujus Nominis I. Septem Urbis Regiones Notariis diviſit, eíſque juſſit, ut res Martyrum geſtas conſcriberent; ex hoc deinde annotandi genere originem ſumpſerunt Martyrologia, quorum Author I. fuit Euſebius, cujus Martyrologium S. Hieronymus in Latinum transtulit, ergo.

Aſſero 3tiò: Sanctos à nobis bene invocari, eſſéque invocationem Sanctorum licitam & utilem, nec in hoc comittitur aliquid contra Religionem. *Ratio eſt 1mò*. Quia in primitiva Eccleſia fuit hæc invocatio uſitata, conſequenter eſt licita; nam etiam juxta Adverſarios primitiva Eccleſia errare non potuit; fuiſſe autem in ea Eccleſia invocationem Sanctorum, habemus ex traditione illorum, qui in ea vixerunt, ùt eſt Juſtinus in 2. Apolog. Irenæus Lib. 5. C. 19. Cyprianus de Stella & Magiſ. Greg. Nanzianz. Hieronym. Epiſt. 27. ad Euſtoch. Auguſt Lib. Medit. C. 24. Dionyſ. Areopag. de Eccl. Hieron. *Ratio eſt 2dò* licèt adhuc in hac vita degentes homines invocare, tanquam interceſſores apud DEUM, ergo & Sanctos mortuos. De Antecedenti utique Sectarii non controvertent, ſi Paulum legerunt 1. ad Theſſal. 5. loquentem: *Fratres orate pro nobis*; & ad Roman. 15. *Obſecro*

vos

vos Fratres, ut adjuvetis me in orationibus ad DEum ergo. Et amabò: dicéntne hæretici Paulum hac invocatione peccâsse? certè non: ergo neque adstruant Catholicos invocatione Sanctorum peccare. Nónne 1. Reg. Israëlitarum ad Samuelem hæc vox est: *Nè cesses pro nobis clamare ad Dominum DEum nostrum, ut salvet nos*, ergo si peccatum Israëlitis non adscribitur, quòd invocaverint hominem, neque aliis affunditur culpa, quòd homines, de quibus NB. incertum est, an sint amici DEI, & si sunt, an in amicitia perseveraturi sint, & ipsi auxiliô indigent, quomodo illicitum erit; & peccatum, Sanctos jam cum Christo regnantes & amicos certissimos invocare? *Ratio est 3tiò.* Genes. 48. Jacob ait ad filios: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis*, quod est invocare S. Angelum; Iterum Exodi 32. Moyses ad DEum inquit: *Recordare Domine Abraham, Isaac & Israël Servorum tuorum*; quod fuit per invocationem SS. Patriarcharum sperare aliquid. Iterum Daniel. 3. dicitur: *Neque auferas misericordiam à nobis propter Abraham dilectum tuum.* Baruch. C. 3. *Domine Omnipotens DEus Israël, audi nunc orationem mortuorum Israël*; quod iterum erat per invocationem Sanctorum exaudiri velle; atqui horum omnium facta invocatio licita erat, quia gratam fuisse DEO hanc Sanctorum commemorationem, consequenter licitam, ostendit, quia exauditi fuerunt, ergo. Denique Apoc. 5. 24. *Seniores coram Agno cadunt phialas aureas habent plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum*,

rum, ergo Sancti orationes DEO offerunt, ergo, ut has fusas ab hominibus offerant, licitè invocantur, ergo. *Ratio est 4tò*: Hanc invocationem etiam utilem esse ideo: Utilis est nobis invocatio piorum adhuc viventium, alioquin Paulus frustra se illorum precibus comendâsset, ergo & invocatio Sanctorum mortuorum. Denique patet ab exemplo Jobi, quod dico: Quia illius oratio amicis fuit utilis, ergo à pari. *Nec dicas*: Job fuit vivus, & præsens, ergo illius invocatio amicis poterat esse utilis; Sancti verò sunt absentes, consequenter non audiunt invocantes; igitur eorum invocatio inutilis. *Ità verò* sunt absentes quoad locum, sed non quoad exauditionem, vivunt enim vel maximè ea parte, qua possunt preces nostras exaudire, & DEO offerre, ergo. Et amabò an historiæ & Historicis omnem Sectarius fidem denegat? Si ità, nullius ergo etiam erit fidei humanæ, quidquid nobis Adversarii in materia qualibet historicè annotârunt. Si fidem concedit Viris & Historicis expertissimis, subsistit utilitas invocationis Sanctorum argumentô à posteriori, & ab effectu, cùm plurimi, ùt Historici & historiæ perhibent varia beneficiorum genera, corpus, animúmque concernentia à DEO per intercessionem & invocationem Sanctorum impetrârint, ergo. *Taceo Cap. Tobiæ 12.* ubi inquit Raphaël: *Quando orabas cum lachrymis &c. Ego obtuli orationem tuam Domino &c.* Igitur si prodest invocatio Angeli, & si is offert preces hominum DEO, cur non prosit invocatio Sancti, & hi enim adsunt

ſunt DEO, ſunt membra Eccleſiæ magìs nobis conjuncta, quàm Angeli, & miſerias hominum probè experti, ergo.

Sed contra: Eſt ſignum diffidentiæ, de Bonitate DEI, paratiſſimi in adjutorium noſtrum, Sanctorum invocatio, eſt injuria illata DEO & Chriſto 1. enim ad Timoth. 2. *Chriſtus eſt unus Mediator DEI & hominum*; ergo talis invocatio illicita eſt. *Nequaquam ajo*, & Bernardo credo ſic loquenti: *Sanctos invocare non eſt de miſericordia DEI diffidere, ſed de propria indignitate timere*; ergo. Nónne, dum pro nobis nos ipſi oramus, dum viventium in terris ſuffragia expetimus, velut etiam Paulus fecit, non cenſemur diffidere Bonitati DEI, neque injurii eſſe DEO & Chriſto, quod fatentur hæretici; igitur neque diffidimus DEO, cum Sanctos mortuos invocamus. Deinde: quæro ex Sectario: an DEus ſibi velit fieri injuriam ab homine? certè non; igitur infero: invocare Sanctos non eſt injurioſum DEO; quippe Jobi 24. DEus ipſe hæc ad amicos Jobi dicit: *Ite ad Servum meum Job &c. Job autem Servus meus orabit pro vobis, faciem ejus ſuſcipiam*, ergo ſi hìc DEus fieri ſibi non voluit injuriam, dum invocationem viventis imperavit, & hæc invocatio injurioſa DEO non erat, nec inferetur DEO injuria, dum Sanctus invocatur. Deinde Catholici Chriſtum admittunt ſolum & unicum, im̃ediatum & principalem Mediatorem noſtrum apud Patrem, eò, quòd proprio Ipſe ſanguine fuſo dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus; id quod

 nemo

nemo alius fecit; Proinde per ipsum tanquam Mediatorem principalem habemus accessum ad DEum Patrem. Ex hoc tamen, quod Sancti sint mediati, & secundarii Intercessores, injuriæ nihil irrogatur Christo; In hoc iterum audio Bernardum Serm. de Virg. qui incipit: signum magnum; loquentem: *Opus est Mediatore ad Mediatorem Istum* (Christum) *nec alter nobis utilior, quàm Maria*; ergo Sancti mediati Intercessores sunt apud DEum, ut Meritorum Christi ac Redemptionis participes fiamus.

Sed contra: Ergo Sancti apud Catholicos fungi debent vice Christi, ergo rogantur, ut Christum adjuvent, quod est illicitum. *Nequaquam ajo*: Sed Catholici Sanctos rogant, ut se adjuvent ad faciliùs, quod petitur, à DEO per Christi merita impetrandum. Quippe efficaciùs id facere possunt nobis; meliúsque id efficere Illi & nos, quàm nos soli. Quod ipsum cedit in honorem Christi, ut omnes illi Mediatores à Christo, tanquam principali Mediatore, dependeant, virtute Illius Meritorum petant omnia, impetréntque; Nunquid honorificum Regi est: quod quicunque in Republica laudabiliter agunt aliquid, Regis authoritate & imperio peragunt? ergo à pari;

Sed contra: Similis invocatio superstitione non caret, jam enim per unum Sanctum petitur donum unum, aliud per alterum, cùm tamen DEus per unum etiam omnia possit tribuere; quomodo amabò licita similis invocatio, adeò superstitiosa? Accedit: nullibi in Scriptu-

ptura invocationem hanc præceptam esse; vanè ergo ab hominibus excogitatam, nunquam igitur licitam; *Neutiquam ajo*: Potest quippe DEus, quod utique affirmant Catholici per unum tribuere Sanctum hominibus dona singula; at sapientissima voluntate sua ad specialiter suos amicos honorandos vult per unum operari istud, aliud per alterum; neque Catholici unum præ alio invocant, quasi non possent per alium obtinere id, quod petunt, sed ex libera voluntatis devotione erga hunc vel alium Sanctum istud agunt, quod certè superstitiosum nequaquam est. Nónne Princeps terrestris per unum Ministrum subditis elargiri potest gratias copiosissimas, propterea tamen sapienter per diversos in variis officiis constitutos variè à Principe honoratos id agit? ergo. Tandem sit: Invocationem hanc nullibi præceptam in Scriptura, an alicubi eadem invenitur prohibita? Certè non, sed potiùs approbata reperitur, quod patet ex citatis Scripturæ locis; ergo. Nónne multa aguntur laudabiliter, quæ præcepta non sunt; negabítne Adversarius consilia Christi laudabilia fore? Profectò non, quod enim ipsa veritas consulit, cùm summè proficuum illud esse necesse sit, laude non caret. Igitur vendere omnia, & dare pauperibus, factum est laudabile, nec tamen præceptum; ergo. Nónne aliquoties de die orare, quod fecit Daniel, laudabile est, & amabò ubi præceptum est? Rechabitæ de abstinentia à vino collaudantur, ad quod nullo præcepto obligabantur, ergo. Denique

Catholici nuſpiam docent, invocationem Sanctorum in Eccleſia eſſe de præcepto, vel neceſſariam, ità, ut ſinè illa ſalus æterna obtineri nequeat, hoc enim aſſerere, foret hæreticum; ſed ſolùm cum Conc. Trid. Seſſ. 25. adſtruimus: *Bonum atque utile eſſe ſuppliciter Eos* (Sanctos) *invocare.* Atque licèt in Profeſſione Fidei ab eodem Tridentino præſcripta ponantur termini: Sanctos eſſe colendos & invocandos. non indicatur tamen per hoc præceptum, ſed decentia, & convenientia; ſicut dum dicitur: dandam eſſe eleemoſynam, viſitandos fore infirmos &c.

Sed contra ampliùs: Ad Roman. 10. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* ergo Ille ſolus invocandus, in quem credimus; in ſolum autem DEum credimus, ſolus igitur ille invocandus; Et nónne Lucæ 11 Chriſtus docuit, quis invocandus eſſet, dicens: *Orantes dicite: Pater noſter*; conſequenter neque Angeli, neque Sancti veniunt invocandi. *Ità verò* nec Sanctos invocari poſſe ajo, nisì credamus eſſe Sanctos, & in iis, ùt Patronis ſperemus, atque ùt tales diligamus; ſenſus igitur verborum Pauli ille eſt: Neminem poſſe invocare DEum, nisì credat DEum eſſe, neque ly in quem ſtrictè debet accipi, ergo. Deinde: quod Chriſtus docuit, nîl facit contra Catholicos, auſcultant hi docenti Chriſto, & orant: Pater noſter; Sed amabò qualis hæc concluſio? ergo nec Angeli, nec homines invocandi, quod Chriſtus inſtruat: Orantes dicite: Pater noſter? Si vera conſequentia: ergo nec Filius, nec Spriritus Sanctus in-

invocandus, cùm tunc orantes non dicerent: Pater noster. Falsa igitur sequela, & pessima Sectarii doctrina, ergo.

Sed contra: Sancti in Cœlo nihil merentur sibi, jam enim prœmium suorum meritorum consecuti sunt, ergo nec nobis merebuntur, quomodo igitur utilis sit invocatio Sanctorum; insuper preces nostras non cognoscunt; patet ex Isaia 63. C. *Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos*; patet 3 Reg. C 8. *Tu* (DEus) *solus nôsti cor omnium filiorum hominum*. patet Ecclesiastici 9. *Viventes sciunt se morituros, mortui verò nihil noverunt ampliùs.* Patet 4. Reg. 22. DEO ad Josiam loquente: *Colligam te ad Patres tuos, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum in locum istum*; Frustranea ergo invocatio mortuorum, nîl cognoscentium, igitur nobis minimè proficua, ergo inutilis *Ita verò* Sancti ex meritis præcedentibus possunt orando impetrare aliis; hoc enim ad prœmium etiam spectat, ut tanquam DEI amici impetrent à DEO, quidquid postulant. Nónne emeritus in terris Strategus, licèt stipendia omnia, quæ commeritus est, acceperit, neque militet ampliùs honestis jam vulneribus, pro gloria Regis, & utilitate Patriæ confectus, potest attamen pro aliis supplicare Principi, & faciliùs impetrare, quàm alius, qui nunquam Regi militabat, ergo à pari. Sed enim sanctos preces non cognoscere palmaris falsitas est; contarium enim cum August. Beda, Greg. Prosp. passim sentiunt PP. Vetustissimi, iíque Eruditissimi, Sanctissimíque.

Vin' Sectarie dispicere loca, ubi istud sentiunt? accipe: Aug: L. 21. de Civit. C. 27. L. 22. C. 8. L. de Cura pro mort. C. 4. L. 6. de Bapt. contra Donat. C. 1. Basil. Orat. in 40. Mart. In Psal. 33. Chrysost. Homil. 5. & 8. in Matth. Cyprian. L. 1. Epist. 1. Damasc. L. 4. de Fide C. 16. Greg. Naz. Orat. in Sanctos. Cypr. Athan. Basilius. Iren: L. 5. cont. hæref. Leo Serm. 5. de Epiph. Origen. Lib. 2. in Job. Euseb. L. 13. Præp. Evang. C. 7. ergo. Sed amplius falsitatem subruo. 1. De Angelis constat preces cognoscere & videre; dicit quippe Ps. 137. David, in conspectu Angelorum psallam tibi &c. ergo videntibus, id est cognoscentibus Angelis, sic enim phrasis Scripturæ accipitur in conspectu DEI cognoscente DEO; in conspectu hominum cognoscentibus hominibus, ergo. Et nónne Raphaël Tobiæ orationem Domino obtulit, ergo cognovit. Nónne cognoscunt hominum pœnitentiam Angeli Lucæ 15. *Gaudium erit coram Angelis DEI super uno peccatore pœnitentiam agente*, ergo. Si autem preces nostras Angeli cognoscunt, igitur & Sancti: Siquidem æquè Beati & Amici DEI sunt atque Angeli, ergo. Et nónne in hac vita degentes Sancti occulta sciverunt copiosa ex divina revelatione? Nónne Daniel somnium Nabuchodonosoris intellexit? Elizæus Regis Syriæ secretum cognovit? Petrus occultam Ananiæ & Zapphyræ fraudem scivit? cur ergo Beatis jam Sanctísque eadem scire ex revelatione DEI pernegemus? neque enim deterioris sunt conditionis degentes in statu beatitudinis, quàm

fue-

fuerint versantes in statu mortalis infirmitatis ergo. Amabò legisti Joan. 15. C. Sectarie? Si itâ, audi scribentem: *Vos dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*; igitur Lex amicitiæ postulat, multa scire à DEO Sanctos, ergo & preces nostras cognoscere; vident quippe in DEO tanquam speculo, quem clarè intuentur creaturas, atque præcipuè ea, quæ modo aliquo ad illos pertinent, consequenter & orationes ad hos directas. Jam verò: Textus allati veritatem Catholicam non infirmant. 1. Enim sensus ex Hieron. ille est: *Abraham & Jacob non agnoscunt nos pro filiis suis propter peccata nostra, consequenter ad Te Dominum Patrem confugimus*, quod nihil facit contra nos; Tandem demus textum sensum illum, quem intendit adversarius, habere, nîl officit; quid enim mirum: eos tunc ignorâsse, quid ageretur in terris, cùm necdum fuerint in statu beatitudinis? Nos autem agimus de Sanctis in hoc felicitatis statu constitutis; ergo. Secundus, qui allegatur textus, probat (quod & Catholici confitemur) DEum scire omnia ex se, proptetea tamen minimè negatur hominem posse etiam scire aliqua per participationem mediante visione DEI & revelatione, ergo. Nec ly solus asserto nostro repugnat sensu explicato: multa enim soli DEO tribuuntur, sed per essentiam, quæ tamen & hominibus convenire possunt, sed per participationem; Nónne legisti: soli DEO honor & gloria, & tamen Paulus inquit: de hominibus: honorem, cui honorem: Nónne legi-

ſti : Solus DEUS Bonus ? an propterea nemo hominum bonus, ergo. Cæterum, quod reliqui textus aſſerunt, nîl contrarium probat; ſolùm enim hoc innuunt, mortuos non cognoſcere naturaliter, quod vivi agunt.

§ I.

Impugnatio Ima Acatholici de Materia Religionis facta fideli.

Wikleffiſtæ: Dies feſti non ſunt celebrandi, aut ſaltèm ad id in conſcientia nemo obligatur, nisì ad evitandum contemptum & ſcandalum. *Lutherani* : Omnes dies ſunt æquales & dies feſti ratione Ordinis & Politiæ ſolùm celebrantur. *Prob*: 1. Novum teſtamentum non eſt intollerabile jugum, foret autem, ſi dies feſti ſunt celebrandi, eſſet enim intollerabiliùs jugô veteris teſtamenti, cùm plura jam feſta ſint, quàm tunc, ergo. *Prob*: 2. Cultus feſtorum ſapit Idololatriam, tribuitur quippe Sanctis cultus DEO debitus, ergo. *Prob*: 3. In primitiva Eccleſia feſti dies habebantur pro indifferentibus, ergo non poterant poſtea præcipi. Antecedens patet ab exemplo Pauli, qui modò Sabbatum, modò Dominicam celebrabat, etiam quippe die Sabbati concionabatur, ergo. Inſuper ad *Galat*, 4. Reſtitit Pſevdo-Apoſtolis volentibus inducere obligationem feſtorum; ergo. *Prob*: 4. Non licet Chriſtianis obſervare Sabbatum Judæorum, ergo nec alia feſta; licèt enim *Exodi* 11. di-

dicatur de Sabbato pactum esse sempiternum, signúmque perpetuum, attamen ex nunc non observatur, cur ergo festa alia, de quibus DEUS pactum nullum fecerat, observentur? ergo. *Prob*: 5. Ad *Galat.* 4. scribit Apostolus: *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos, timeo vos, nè frustra laboraverim in vobis*, ergo dies festos observare, est contra Apostolicam doctrinam Pauli; sic enim etiam ad *Coloss.* 2. scribit: *Nemo vos judicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi*, ergo. *Prob*: 6. Quilibet dies aptus est ad honorandum DEUM, ergo omnes sunt æquales, nec unus altero sanctior, frustra ergo dies festi specialiter celebrantur. Denique multorum Festorum non fit mentio in Sctiptura, ergo non licet illa observare.

§ II.

Propugnatio Catholica Fidelis.

Dies festi sunt celebrandi, atque ad hoc obligantur Christiani in conscientia & quidem non tantùm politiæ gratiâ sed ratione mysterii & piæ significationis, quam continent, veniunt celebrandi. *Prob*: 1. Dies Dominicus etiam ab adversariis solemniter celebratur, & quidem ratione mysticæ significationis, ergo & alia festa celebranda sunt, cùm habeant etiam mysticam significationem; nec enim dies festi tantùm ratione politiæ distinqvuntur ab aliis diebus, cùm manifestè falsum sit omnia festa fore æqualia, quod alioqui sequeretur, ergo. Certè enim S. Leo serm: 12. de Quadr:

Diem Paschæ vocat Festum Festorum omnium maximum. Ignatius diem Dominicum vocat diem Regalem, ergo. Et nunquid Lutherani aliqua festa tota die celebrant, alia dimidia die? Cur hoc? nisi quòd unum diem, alterô digniorem autument; atqui dignior non est in se; sic enim spectati dies æquales sunt, ergo ratione mysterii, quod, quò dignius est, & sanctius, etiam dignior dies est & sanctior, ergo ratione mysterii etiam dies festi veniunt celebrandi. *Prob*: 2. Celebratio festorum ad primam tabulam Decalogi spectat, quod plurimi fatentur adversarii, ergo & Christianos concernit; Et quia præcepta 1mæ tabulæ spectant 1mò ad cultum DEI, etiam observatio festorum spectabit ad cultum DEI 1mò, & non ad rationem statûs politici. Subs. sed quod ad cultum DEI spectat, hoc bene observatur, ergo festa bene celebrantur. *Prob*: 3. Observatio festorum est de Præcepto Ecclesiæ, sed præcepta Ecclesiæ obligant in conscientia, ergo. Maj. patet ex ipsa praxi. *Min. Prob*: Si præcepta Ecclesiæ de observatione festorum non obligarent in conscientia, non servaretur Jus Divinum, quod sustineri non potest, ergo. *Prob*: *Antec*. Certum est jure Divino præcipi & in nova Lege, ut aliqui dies festi observentur; nulli autem dies Jure Divino determinati habentur, ergo debuit in Ecclesia esse potestas determinandi certos dies festos, & obligandi in conscientia ad illorum observationem; si enim determinatio Ecclesiæ non obligat in Conscientia, poterunt Christia-

ni non celebrare festa Nativitatis aut Paschæ, quia hæc non sunt determinata jure divino, & aliunde (quod adversarii dicunt) Ecclesia non obligat in conscientia, ergo non servaretur Jus Divinum. *Prob: 4tò.* Si Ecclesia non posset in conscientia obligare ad festorum observantiam, ideo 2dùm Sectarios non posset, quia DEUS particularia festa non præcepit, sed hæc ratio non subsistit, ergo. *P. min.* Judæi cum Mardochæo & Esther instituerunt festum Sortium *Esther 9.* & NB. obligârunt ad ejus observationem: Nulli liceat hos duos dies absque solennitate transigere &c. Nec tamen hoc festum in particulari fuit præceptum, ergo. *Prob: 5tò.* Loca, in quibus Christus natus est aut jacuit, aut mortuus est, censentur sancta, & sanctè veneranda, ergo & dies illi, in quibus natus est, surrexit &c. sancti sunt; si enim Christus nascens consecravit locum nativitatis, cur non diem nativitatis? ergo dies festi non politiæ causâ, sed ratione piæ significationis, & mysterii celebrantur. ergo.

Resp: jam ad 1mum advers: argument: *Nego seq:* Festa enim Judæorum verè gravia erant, sic in solennitate Paschæ per 7. dies cogebantur edere panes asymos insipidos; inde *Deuter: 10.* vocatur panis afflictionis; itèm lactucas agrestes & amaras debebant manducare, multa deinde alia tenebantur observare, per quæ festa reddita sunt nimiùm onerosa; quorum nihil habent festa nostra, præter auditionem sacri, & ab operibus quibusdam vacationem præcipiunt;

non

non igitur intolerabile jugum imponunt. Cæterum: Lex vetus vocatur quidem à Petro jugum importabile, non ità ratione festorum, quàm potiùs propter innumeras & minutissimas cæremonias, quas memoriâ retinere propè fuit impossibile, nedum observare; ergo.

Resp: ad 2. imò. ergo Lutherani sunt Idololatræ, dum festa Apostolorum celebrant; aut dum dies, ùt vocant Pœnitentiæ solenniter absolvunt. *R. 2dò.* Cultum, qui exhibetur Sanctis die festo esse tantùm duliæ & non latriæ; ergo.

R. ad 3. Neg: Ant. Et quamvis dies festi in se essent indifferentes, posita tamen lege fiunt necessarii in ordine ad observationem. Quod Paulum attinet: falsum est; neque Concio die Sabbati à Paulo habita id evincit; quid enim mirum tali die Paulum prædicâsse, qua vel maximè Judæos inveniebat in synagoga congregatos. Ob quod nullus Illi indifferentismus dierum contra morem Ecclesiæ & Potestatem adscribendus venit. Deinde in Epistola solùm arguit eos, qui volebant Christianos obligare ad festa Judaica, ergo.

R. ad 4. N. C. Quia Sabbatum erat præcipua cæremonia & figura, & ùt Paulus dicit: umbra futurorum, ergo cessantibus cæteris, posteaquam Christus venit, figuris, bene etiam cessavit Sabbati festivitas; celebratio autem modernorum festorum suppositô jam figuratô actuales habet convenientissimas mysticas significationes, consequenter vel maximè potestate Eccle-

Ecclesiæ imperante celebrari potest & debet. Ad illud, quod additur, repono: Etiam Sacerdotium Veteris Testamenti dicitur æternum, & tamen ex nunc non durat, nec observatur; propterea attamen Sacerdotium Novi Testamenti legitimè impletur & administratur, ergo à pari. Denique quòd ly æternum attinet, ex quo Christianis Sabbatum non celebrantibus videtur affingere adversarius illicitum aliquid, saltèm ex consequenti, noverit is ex August: cæremonias judaicas dici æternas, non quòd sint æternæ, sed quòd non sint institutæ ad certum aliquod & determinatum tempus, secundùm quod DEUS illas servari vellet; indè licèt ex parte Judæorum hoc sensu fuerint æternæ, quòd potestas easdem omittendi penes hebræos non fuerit, nihil officit Christianis, quòd cæremoniis Judaicis, tanquam figura & umbra, extinctis, festa Ecclesiæ potestate constituta ex nunc observentur.

℞ *ad* 5. Cum Hieron: & Aug: Paulum ibidem agere defestis Judæorum, à quibus conatur Galatas, qui Christum cognoverunt revocare; quod vel maximè patet ex altero textu, cùm subdat: aut Neomeniæ, quod est festum judæorum; consequenter ipse Apostolus hac doctrinâ non egit contra Apostolicam doctrinam & ità nec Christiani festa Christiana observantes agunt, ergo. Quanquam in eodem textu Paulus hunc finem intendit: ut moneret Philosophorum, aliorúmque persvasionibus Legem inducere volentium, non esse obtemperandum & à Christo secedendum ergo.

R. *ad* 6. Si hæc valet conſequentia cur, Lutherani ſolennius Paſcha, quàm dies cæteros celebrant? Nego itaque conſeq: patet aliunde aptiores quosdam dies eſſe ad honorandum DEUM *v. g.* Dies Nativitatis aut Paſchatis, vel ob ſingulariora, vel ob plura myſteria per hos dies ſignificata; ergo. Tandem noſcet adv: poſitivum gradum vel ex initio Latinitatis; igitur licèt quilibet dies aptus ſit ad DEUM honorandum, aptior per comparativum dies alius eſſe poterit, & debebit in ordine cultûs Divini, qui comparativus huic poſitivo bene ſuperſtruitur; & ità Lutherana æqualitas dierum, cum omni ſua politia ceſſat. Tandem ubi amabò in ſcriptura mentio fit de Feſto Lutheri, & tamen illud Lutherani celebrant, ergo. Ex hoc igitur nulla formatur contra Catholicum conſequentia, quia & Judæi accepta Lege plura feſta inſtituerunt, quæ in Lege præcepta non erant, neque ab ullo propterea reprehenduntur, ergo.

§ III.

Impugnatio IIda. Acatholici facta Fideli.

Calviniſta. NOn licet facere, non licet habere in Templis, vel domibus erigere Imagines DEI, Chriſti & Sanctorum. *P. 1mò.* Imagines ſunt occaſio Idololatriæ, ergo. *P. 2dò.* Si pingantur DEI & Angelorum Imagines, inducunt fideles ad cogitandum, & credendum DEum & Angelos fore corporeos, quod eſt er-

roneum, ergo non licet tali errori dare occasionem, consequenter nec erigere, nec habere imagines licebit. *P. 3tiò.* Quia hoc ipsum videtur Exod 20. vetitum: *Non facies tibi sculptile, neque* NB. *omnem similitudinem*, ergo. Accedit: quia rei incorporeæ non potest fieri vera imago corporea. ergo frustranea est imaginum pictura, vel sculptura, vel quævis fitio, ergo. Denique Concil. Florentinum Can. 36. ita habet: *Placuit in Templis non haberi picturas, nè, quod colitur, vel adoratur, in parietibus depingatur.* *P. 4tò.* Lex 1ma Decal. est Lex naturæ, sed illa prohibet imagines, ùt antè citavi; & iterum Deuteron. 5. legitur, ergo; consequenter has facere non licet. *P. 5tò.* Cultus imaginum est illicitus, ergo & has facere, aut pingere (fierent enim utique propter cultum) erit illicitum. *A. P. 1mò.* Quia Ezechias Rex æneum illum serpentem confregit, quem colebant Judæi 4. Reg. 18. *2dò.* Quia non aliter gentiles & Judæi coluerunt idola, quàm nunc Catholici colant imagines, sed illi egerunt illicitè, ergo & hi. *P. hoc ipsum A.* Quia & Judæi in solis idolis DEum verum venerabantur. Sic Judic. 17. Michas postquam sibi sculptile fecisset, dixit: *Nunc scio, quod benefaciet mihi DEUS.* Et Exod. 32. Populus de vitulo ait: *Isti sunt Dii tui &c.* Ipse Aaron indicturus Solennitatem, illam dicebat: *Cras Solennitas Domini est*, ergo. Denique de gentilibus testatur Ambrosius, cùm idololatriæ accusarentur, reponere solitos, se non colere ipsa idola, sed illud Numen, quod

per

per idola repreſentabatur, ergo. *P. 6tò.* Imago eſt res inanima, atqui res inanimæ non ſunt capaces honoris, ergo non licitè honorantur, conſequenter neque licitè eriguntur; quid? quod ipſe Hieron. in C. 3. Dan. ità ait: *Cultores DEI adorare imagines non debent.* Et Iren. L. 1. C. 24 inter hæreſes Carpocratis numerat, quòd coleret imaginem Chriſti & Pauli. Epiph. hæreſi 7. dicit hæreticos eſſe, qui imaginem B. V. circumferunt, & colunt, ergo.

§ IV.

Propugnatio Catholica Fidelis.

Licet facere, habere in templis, & erigere, in domibus Imagines DEI, Chriſti, & Sanctorum, éſtque cultus imaginum Catholico more exhibitus, licitus. *P. imò.* Quia nulla Lex iſtud prohibet; non Lex naturæ, nam ſculpere imagines non eſt intrinſecè malum, conſequenter Lege naturali nuſpiam prohibitum; quæ enim prohibentur hac Lege, ideo prohibita ſunt, quia in ſe mala ſunt, ergo. Inſuper DEus Exod. 25. juſſit fieri imagines Cherubim. Et Numer. 21. Serpentem æneum. Imò 3. Reg. 6. Cherubim, boves, leones &c. atqui DEus nequit jubere illud, quod intrinſecè malum eſt, ergo. Denique imago non adverſatur fini Legis naturæ. Sic legis in Decal. 1. finis eſt honor DEI DEO ſervandus, atqui hic finis inviolatus manet, licèt imagines erigantur, aut pingantur, ergo. *P. 2dò.* Nec etiam prohibet imagines

gines fieri Lex divina aut humana, ergo. *P. A.* 1mò. Quia, ùt innui, DEus ipse jussit alios imagines facere, ergo. 2dò Exod 31. & 35 infudit DEus duobus viris Beseleel, & Ooliab sapientiam & scientiam ad sculpendum & excogitandum multa pro ornatu tabernaculi, ergo. De lege humana, & quidem de civili certum est. De Ecclesiastica dubitare non licet; hæc enim tantum abest, ut prohibuerit & prohibeat imagines, ut & hæreticos declaret, qui contrarium sentiunt; éstque usus imaginum in Ecclesia adeò communis, ut undique ferè ejusmodi sacræ imagines receptæ sint; credibile autem non estEcclesiam toleraturam universaliter aliquid illicitum, ergo. Denique Synodus Gener. 7. Sess. 6. ex Senten. Joannis Episcopi Thessal: dicentis: Angelos pingi posse, assertionem approbavit, ergo. *P. 3tiò.* Cultum imaginum esse licitum modô eô, quô à Catholicis coluntur: quia res sacræ, & sanctæ etsi sint inanimatæ, sunt adorandæ, honorandæ, & colendæ (neque hìc accipio adorationem pro cultu latriæ, sed prout in genere significare potest omnem cultum sacrum) atqui imagines sunt res sacræ, ergo. *M. P.* DEus ipse jussit honorari Arcam Ps. 98: *Adorate Scabellum* (id est Arcam, sic enim expresse appellatur 1. Paralip. 28.) *Pedum ejus, quoniam sanctum est*, ergo. Deinde esse sanctum, & esse venerabile, honorabiléque, est idem, ùt patet Exod. 12. *Dies prima erit sancta, & dies septima eadem festivitate venerabilis*, ergo quod est sanctum, est sacro cultu venerandum. *P. jam m.*

antè posita: Illæ res dicuntur sacræ sanctæque, quæ habent specialem relationem ad DEum aut Christum, aut alias Personas, résque sacras; sic locus Exod. 3. Sanctus fuit ob præsentiam Angeli DEum repræsentantis. sic Scriptura dicitur: Literæ sacræ 2. *ad Tim.* 3. Cur? nisi quia sunt signa rerum sacrarum; & ob hanc causam Evangelium stando, atque detecto capite legi audimus; imò ipsum Nomen JESUS veneramur propter eum, qui illo nomine insignitus est; atqui imagines DEI, Christi & Sanctorum habent specialem relationem ad DEum, Christum, & Sanctos; sic enim quævis imago specialiter refertur ad eum, cujus imago est, adeò, ut nemo sit mortalium, qui non putet se in imagine sua aut honorari, aut despici, ergo. Indè Ambros. Serm. 10. in Ps. 118. ait: qui imaginem coronat Imperatoris, utique illum coronat, cujus imaginem coronavit; & qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori utique fecisse, videtur injuriam, ergo imagines Christi & Sanctorum, res sunt sacræ, ergo honorandæ, & colendæ, consequenter cultus imaginum more Catholico licitus est, & sic easdem etiam facere aut pingere, aut erigere propter cultum licebit, ergo. Tandem bene colimus imagines Regum, hásque fabricamus, pingimus, & erigimus, ergo & Sanctorum; *Si dicas*: cultum istum, quô Reges coluntur esse tantùm civilem, ergo licere. ℞. Ex hoc ità pro me argumentor: imagines Principum honorantur cultu civili, quia & ipsi Principes non alio cultu

co-

coluntur, ergo illorum, qui altiori cultu debent coli, imagines, altiori quoque cultu, ſacro nempe, colere par eſt, ergo.

℞. *jam ad* 1. Hoc eſſe per accidens: alioquin nec Sol, nec Luna, nec aſtra reliqua creari potuiſſent, cùm occaſio idololatriæ fuerint, & apud gentes hodiedum ſint, ergo.

℞. *ad* 2. Rationem Acatholici nihil urgere; ſi enim valet, inferam, ergo & Scriptura debet comburi, & ipſa imaginatio noſtra deſtrui; Scriptura quippe dum ait DEum habere oculos, aures, &c. pariter induceret in errorem cogitandi DEum corporaliter auritum, & oculatum eſſe, ergo; imaginatio autem noſtra nunquam aliter, quàm modô corporeô DEum repræſentat, ergo. Et nónne, ut ſenſus Scripturiſtarum eſt, DEus viſibili ſpecie atque corporea Adamo apparuit? Angeli Abrahamo, *Geneſ.* 18. Raphaël Tobiæ, cur ergo eodem modo non pingantur? *Si dicas*: Scripturam non dare errori occaſionem ideo: quia alibi DEum aſſerit incorporeum fore; bene ajo, ſed infero: ergo etiam eadem Scriptura impedire poterit errorem picturæ, nè in animum noſtrum inducatur, ſicut enim ab hac diſcimus membra illa, quæ DEO ipſa tribuit, metaphoricè accipienda eſſe, ità pariter edocemur partes illas, quæ in picturis DEO tribuuntur, aut Angelis, metaphoricè ſumendas eſſe. Quòd ſubinde ſimplices in errorem inducantur, non obſtat univerſim picturis talibus, indè rudes de hoc bene erudiendi ſunt, ergo.

℟. *ad 3.* Hoc textu nihil probari contra morem Catholicum; si namque bene legatur textus, non magìs prohibet imagines DEI, quàm aliarum quarumcunque rerum, sunt enim termini universales; utique autem res alias depingere licitum asserent adversarii, quomodo aliàs pictoria ars subsistet, ergo. Cæterum textus intelligi debet de perfecta similitudine, non autem de analogica, videlicet ad demonstrandas aliquô modô rei spiritualis proprietates, ergo. Et nónne citatum ante adversarius habet, legeréque potest: jussisse DEum Angelos sculpi, quomodo ergo illicitum erit Angelos pingi, ergo. Denique si picturæ tales subinde prohibitæ fuerunt, actum id est propter gentiles, nè hi Christianos adorare ligna & lapides autumarent; adhuc enim eo tempore durabant persecutores; dici etiam potest: non prohiberi ibi picturas in tabellis, sed in parietibus, & hoc quidem propter honorem imaginum, quia per stillicidia & humiditatem parietum in similibus olim locis facilè defœdari & corrumpi potuerunt, ergo. Cæterum vel ex hoc Concilio apparet manifestè antiquitas cultûs imaginum, ùt ostendunt illa verba: nè quod colitur, vel adoratur, &c. ergo. Tandem rei incorporeæ non potest fieri imago vera corporea, similitudine univoca & perfecta, sed bene analoga aut æquivoca, ergo adhuc res incorporeæ depingi poterunt. Denique rectè in Templo imagines collocari, patet à paritate Cherubim & ex consvetudine primitivæ Ecclesiæ, testimoniis

etiam

etiam Patrum, quos videre eſt citatos apud Bellarm. L. 2. de Imag. SS. C. 9. Ratio hæc eſſe poteſt: quia imagines ſunt ſigna ſacra; ſigna autem ſacra meliùs non collocantur, quàm in Locis ſacris, qualia ſunt cumprimis Templa, ergo. *Si dicas*: Epiphan. L. 4. C. 9. §9. inquit: contra Scripturæ authoritatem eſſe, quod in Eccleſia pendeat imago hominis, ergo. ℞. Verba iſta eſſe ſuppoſititia, ùt Bellarm. oſtendit; ergo.

℞. ad 4. D M. Eſt lex naturæ quoad omnia, quæ in ea dicuntur N. quoad aliqua C. M. inquantum prohibet falſos Deos adorari, eſt naturalis; inquantum verò omnem imaginem fieri vetat, eſt tantùm cæremonialis, qualis erat v. g. de Sabbato colendo, ergo. D. etiam m. arg. prohibet imagines Judæis C. Chriſtianis N. Diſcrimen hoc eſt: quia Judæi vehementiſſimè ad idololatriam inclinabant; indè ad occaſionem omnem tollendam hujus criminis, prohibetur illis abſolutè omne ſculptile, jam ergo lex hæc tanquam cæremonialis, & Judæis propria, non ſecus ac reliquæ Cæremoniæ judaicæ ſtatim tempore Apoſtolorum ſepulta eſt; conſtat quippe ex PP. & hiſtoriis mox à temporibus Apoſtolorum factas, cultáſque fuiſſe imagines, eúmque morem per continuam temporum ſucceſſionem hucusque perduráſſe; quare autem in Novo Teſtamento lex illa abrogata ſit, ratio eſt: quia ceſſavit periculum abuſûs, quod in veteri Teſtamento fuerat, quando enim lex, quod ex ſe bonum & laudabile eſt, prohibet, NB. propter abuſum, eo ceſſante, ceſſat etiam lex obligare, ergo.

R. *ad* 5. N. A. ad P. dico : Ideo Ezechiam confregisse serpentem, quia cultu latriæ, soli DEO debito, à Judæis colebatur, ùt patet ex cit. C. ad P. ult. N. M. unà cum subsequa proba; quia de Judæis Deuter. 52. expressè dicitur : *Immolârunt dæmoniis & non DEO*, ergo. Quod Micham attinet, istud non dixit propter idolum, sed propter Levitam, sive Personam sacram, ob cujus sanctitatem existimabat se accepturum benedictionem à DEO ; constat id ex ipso contextu : *Nunc scio, quia benefaciet mihi DEus habenti Levitici generis sacerdotem*, ergo. Quod autem Michas idolum pro DEO habuerit, cui tanquam DEO ipse Levita immolaverat, manifestè constat ex expostulatione cum Danitis : Deos inquit meos, quos mihi feci tulistis; ergo. Iterum quod Levita ipsis, qui per eum idolum consuluerant Danitis, responderit : Dominus respexit viam vestram, nîl probat ; per Dominum enim intelligit simulacrum Michæ, per quod dœmon responsa Levitæ dabat. Sed nec Judæi (quod objectio evincere vult) in adoratione vituli verum DEum adorabant; patet id ex Psal. 105. *Fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile, & obliti sunt DEum, qui salvavit eos* ; ergo si obliti DEum sunt, non intellexerunt DEum verum, cum adorârunt vitulum. Tandem quod gentiles attinet, falsa est eorum responsio ; nunquid ex Sapient. 13. de Gentilibus clarum habemus : *Appellaverunt Deos opera manuum suarum*, atqui talia opera idola erant ; consequenter verum

DEum

DEum in illis, qui gentium manibus fieri non poteſt, intelligere non poterant, ergo. Denique ſit, reſponſio gentilium vera, non eſt contra nos aliquid: quia iſtud Numen, quod adorabant in idolo falſum erat, & dœmonium, ergo.

℟. *ad 6.* T. M. non eſſe capaces in ſe, ſunt tamen capaces reſpectivè ad exemplar; hinc cum accedimus ad imaginem oraturi, non volumus invocare ipſam imaginem, ſed eum, quem repræſentat; dixi Tran: quia & ipſas imagines coli poſſe per ſe præter alia breviter oſtendo, in quantum nempe in ſe ipſis conſideratæ terminare poſſunt venerationem; quia & ipſi imagini aliquid ſacri ineſt, eſt enim ſimilitudo rei ſacræ, ergo. Quòd autem unam præ altera ſæpiùs majori cum devotione veneremur, ideo fit: quòd DEUS per unam plura operetur mira, quàm per alteram; qua de cauſa etiam unum Sacramentum præ altero colimus; vel etiam ideo: quòd una magìs excitet ad devotionem, quàm altera, tanquam magìs pia & Religioſa; vel tandem: quòd etiam ex reſpectu perſonæ ſacræ debita haberi poſſit veneratio, ùt *v. g.* quòd una picta ſit à Viro ſancto omnium exiſtimatione, ùt S. Luca, alia à profano pictore, ergo. Ad S. Hieron: ſententiam dico: Eum loqui de ſtatuis Regum, quæ pro Diis colebantur, quod patet ex eo: quia reprehendit illos, qui id facere volebant in Babilone, divinos nempe honores ſtatuæ Nabuchodonoſoris offerendo. Irenæus autem ar-

gnit Carpocraten ideo, quòd is imaginem Christi, eô coleret modô, quô gentiles idola sua, nimirum sacrificiis colebant; quod ipsum explicat August: ergo. Quod Epiph: attinet reprehendit Collyridianos ideo: quòd B. V. colerent saccificjis, ùt DEam, quod omnino non licet, cùm nunquam Catholici cultu suo in Sanctos, seu hyperdulico, seu dulico adstruant DEO DEam, aut aliquem alium DEUM, ergo.

§ V.

Impugnatio 3tia Acatholici facta fideli.

Hæretici: ECclesia Catholica non habet potestatem instituendi Sacras cæremonias, tum intra administrationem Sacramentorum, tum extra observandas. *P. 1mò* Superstitionis genus est mediô improportionatô & à DEO non institutô effectum aliquem procurare, *v. g.* sanitatem aut scientiam, nec hoc in potestate creaturæ DEO se subjicientis relinquitur; atqui Ecclesia cæremoniis, tanquam mediis utitur in ordine ad effectus tales, ad quos sunt improportionatæ; sicut *v. g.* est expulsio dœmonis, curatio febrium &c. ergo exercere similes cæremonias superstitiosum est. *P 2dò.* Ethnici cæremonias similes, Catholicis hìc & nunc usitatas, in sacrificiis suis usurpabant: ergo hæ ab Ecclesia tanquam summè aliquid superstitiosum debent amoveri. *P. 3tiò.* DEUS Ipse non interveniente ullius operâ abun-

dan-

danter poteſt benedicere, & hominem ſanctificare, aliáſque creaturas, atque illos effectus operari, cur ergo per cæremonias ſuperſtitiosè ſimilia fieri debere aſſignatur; ergo.

§ VI.

Propugnatio Catholica fidelis.

Eccleſia Catholica habet poteſtatem inſtituendi ſacras cæremonias &c. Neque hæ ſunt aliquid ſuperſtitioſum. *P. imò.* Quia hanc poteſtatem habuit ſynagoga, quæ complures cæremonias & feſta, nunquam DEO per Moyſen illi præcipiente, inſtituit, quale *v. g.* fuerat victoriæ Judith de Holoferne Jud: 6., vel feſtum ſortium, authore Mardochæo ob liberatos judæos à crudelitate Aman Eſth: 9. vel feſtum Encæniorum authore Juda Machabæo &c. atqui ſi ſynagoga poteſtatem hanc habuit, quæ umbta fuit Eccleſiæ Novi Teſtamenti, à fortiori eandem habebit Noſtra Eccleſia, ergo. Neque enim dici poteſt negâſſe Chriſtum Eccleſiæ Sponſæ ſuæ, quod DEus adeò liberaliter conceſſit ſynagogæ, ergo. *P. 2dò.* Moyſes Dux exercitûs Iſraelitici eo tempore, quo cum Amalec Iſraelitæ præliô decertabant ardenter orabat DEum, elevatis in Cœlum manibus; atqui hoc non fuerat ſuperſtitioſum, neque nugatorium, nunquam enim Viro tam ſancto & ſapienti à DEO electo Moyſi id adſcribi poteſt, voluiſſe nempe hac cæremoniâ, hácque elevatione manuum nugari, & ità nugando DEO loqui, con-

ſequenter eſſe ſuperſtitioſum, ergo nec cære-moniæ hodiedum in Eccleſia DEI uſitatæ dici poterunt ſapere quidpiam ſuperſtitionis. Nónne Daniel ter in die genibus flexis & feneſtris apertis in cœnaculo contra Jeruſalem orabat Dan: 6. O quantæ cæremoniæ! an ſuperſtitioſæ? certè non: utique in ſcriptura legit hæc omnia adverſarius, qui ſcripturam negare non vult; ergo nec in Eccleſia Catholica ſuperſtitioſum aſſerat cæremonias ſapientiſſimè inſtitutas, neque multùm à ſcriptura difformes. Nónne Abraham in valle Mambre Angelos tres in ſpecie virorum conſpicuos NB. pronus in terram adoravit Gen: 18 Vides cæremonias adverſarie totius etiam corporis inclinatione; an ſuperſtitionis inſimulabis Abrahamum? an nugatum fuiſſe dices tantum Patriarcham, certè non; ergo nec Eccleſiam Catholicam ſapientiſſimè de cæremoniis providentem, aut nugacem dic in cultu DEI, aut ſuperſtitiosè nugantem, ergo. Taceo Sanctum Sanctorum Chriſtum, in quem nec labes ſuperſtitionis cadere potuit, cum peccato nulli obnoxius fieri valuit; taceo Chriſtum variis cæremoniis in ſanando cœco à nativitate utentem Joan: 9. in muto & ſurdo convalidando Marci 7. In reſuſcitatione Lazari Joan: 11. varias cæremonias adhibentem, an hæretico iſti ſuperſtitioſus Chriſtus Ipſe erit? profectò non; buccinat enim fidem in Chriſtum, ergo nec Chriſti Eccleſiam ſuperſtitioſam vocitet, ſapientiſſimè cæremonias continua ferè traditione adhibentem.

R. ad

℟. *ad imum.* C. M. ſed N. m. ideo: quia Eccleſia non tribuit dictis cæremoniis & rebus benedictis vim phyſicam, ſeu naturalem per ſe talem, ſic enim omnino eſſent improportionata media ad effectum; ſed tribuit vim quandam moralem, neque tamen hanc certam, & infallibilem tanquam ex pacto, & ex promiſſione infallibili DEI, qualem habent Sacramenta, ex quibus infallibiliter confertur gratia homini ritè diſpoſito, ſed eam ſolùm, quæ oritur ex propriis Eccleſiæ precibus & oratione; viſis ergo DEUS talibus cæremoniis effectus illos, quos Eccleſia ſupplex intendit liberaliter, non neceſſariò & infallibiliter operatur; atque hoc reſpectu cæremoniæ Eccleſiaſticæ ſunt media proportionata ad omnes effectus, ad quos in ordine ſuo aſſumuntur, ſicut & ipſæ Eccleſiæ preces, aliáque opera ſufficienter proportionata ſunt ad varia beneficia à DEO impetranda, ergo. Quamvìs autem quædam certis diebus feſtis res *v. g.* avena die S. Stephani benedicantur, non aliud quidpiam intenditur, quàm ut per preces & merita Sancti illius res illæ benedictæ tam pecoribus, quàm hominibus proſint, & DEUS impleat omne animal benedictione; ergo. Quòd autem hoc, & non alio die feſto benedicantur, non fit ex neceſſitate hac, quaſi non poſſent prodeſſe, nisì ad hunc diem alligetur benedictio, ſed fit ex libera fidelium electione, quâ poſitâ, conſvetudo deinde obtinet, ut hoc, & non alio feſto die res hæc, vel illa benedicatur; id, quod

non

non eſt aliud, quàm eligere certum Patronum in ordine ad hanc vel illam gratiam à DEO conſequendam, credendo tamen, etiam per alios Sanctos poſſe eandem impetrari, ergo.

R. *ad 2dum.* Imò. Retorqueo argumentum: Ethnici in ſuis ſacrificiis orabant, ergo oratio procul ſit ab Eccleſia; R. *2dò.* N. C. Licèt enim Chriſtiani in aliquibus cæremoniis conveniant cum Ethnicis, nunquam tamen ſequuntur eorum ſuperſtitionem, ergo. Hinc advertendum: Dœmonem multas res ſacras & ad DEI cultum ordinatas traduxiſſe ad honorem & cultum latriæ NB. ſibi per illas ab Ethnicis exhibendum, contra quod quæritur Tertull: . Jam autem nullum inconveniens eſt illas ipſas Ethnicorum cæremonias relicta illorum ſuperſtitione ad veri Numinis cultum atque gloriam convertere, quod ipſum fecerunt Iſraëlitæ, qui aurô & argentô Ægytiorum uſi ſunt ad erectionem & ornatum tabernaculi ergo. Accedit, quòd cæremoniis illis non utamur tanquam à paganis & idololatris inſtitutis; neque effectus illarum à dœmone expectemus, ſed à DEO, quod certè illicitum non eſt, ergo

R. *ad 3tium.* Poſſe omnino DEUM omnia iſta agere; velle tamen etiam interveniente creatura ſubinde operari, & hoc ex diviniſſimo ſuo placito; Certè DEUS poterat adverſarium ſolus producere, & tamen id non fecit ſinè cooperatione Parentum; poterat Paulum de omnibus edocere ſolus, & tamen per

Ana-

Ananiam eundem fecit instrui, & baptizari. Poterat DEUS Naaman sinè balneo in Jordane sanare, nec tamen istud fecit; ità pariter cœcus à nativitate, ut videre posset, jussu Christi oculos lavare debuit in natatoria Siloë, ergo. Denique: nónne DEUS potest omnes morbos per seipsum sanare, & tamen istud communiter non facit sinè medicinis; adeò, ut iis non uti, cùm possis, & tamen sanitatem à DEO sperare, non aliud sit, quàm DEUM tentare, ergo. Tandem ex eo, quòd DEUS per seipsum immediatè possit sanctificare creaturam suam, non sequitur id Eum facere absque cooperatione hominis, aut superfluam esse hanc cooperationem, ergo. Quòd autem velit DEUS per Ministros suos cæremonias istas, ac benedictiones peragi, patet ex data illis potestate, & Ecclesiæ praxi jam indè ab initio Ecclesiæ hucusque continuata, ergo

Si dicas. Cæremoniæ Ecclesiasticæ non sunt à Christo institutæ, ergo sapiunt aliquid superstitiosum.

R. imò. Quid inde? instituítne Christus festum Calvini aut Lutheri & tamen hæc & alia partim à Calvinistis, partim à Lutheranis observantur, ergo. *R. 2dò.* D. A. non sunt à Christo institutæ immediatè Tr. non sunt à Christo institutæ mediatè, in quantum potestatem dedit Ecclesiæ similia instituendi N. Nec de potestate tali concessa dubitari potest, cùm Christus potestatem miracula ipsa patrandi, conficiendi Corpus & Sanguinem suum Eccle-

ſiæ dederit, inſuper poteſtatem conſecrandi Epiſcopos & Sacerdotes Eidem conceſſerit, quod longè plus eſt, quàm cæremonias inſtituere, ergo. Denique cæremoniæ Eccleſiaſticæ vel ex ipſa ratione ſuperſtitionis dici non poſſunt ſuperſtitioſæ; ſuperſtitio quippe cultus eſt vitioſus veri, & falſi Numinis, quando vel indebitô modô Verus DEUS colitur, vel falſo DEO aut creaturæ cultus verus Numini debitus defertur; atqui neutrum in cæremoniis Catholicis involvitur; non primum, quia cæremoniæ iſtæ *v. g.* benedictiones debitè in DEI honorem ordinantur; patet ex cæremoniis à Chriſto adhibitis, quæ certè non erant indebitus cultus DEI; non ſecundum; quia certum eſt Eccleſiam Catholicam omnem falſorum Numinum cultum reſpuere, ergo.

DOGMA II. AUGUSTINI De PRÆDESTINATIONE.

PRædeſtinavit omnes ante conſtitutionem mundi regnaturos cum Filio ſuo in vita æterna, hos conſcripſit, ipſos continet Liber vitæ. Serm. 2. in Ps. 68.

In

In sua quæ falli, mutaríque non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quidquam est, nisì prædestinare. Lib. de Dono Persev. C. 17. N. 41. *Nullô modô cogimur aut retentâ præscientiâ DEI tollere voluntatis arbitrium, aut retentô voluntatis arbitriô, DEUM, quod nefas est, negare præscium futurorum; sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter & veraciter confitemur: illud, ut bene credamus; hoc, ut bene vivamus; malè autem vivitur, si de DEO non bene creditur.* Lib: 5. de Civ. DEI. C. 10. N. 2. To. 7. *Cur ergo non vindicet justus, quæ fieri non cogit præscius? sicut enim tu memoriâ tuâ non cogis facta esse, quæ præterierunt; sic DEUS præscientiâ suâ non cogit fa-*

cienda quæ futura sunt. Lib. 3. de lib. arb. C. 4. N. 11.

PARAPHRASIS DOGMATIS.

EXpenditur cumprimis in præsenti ab Aurelio præscientia præcipua prædestinationis pars, quæ ùt ùt liberos nostros actus attingat, cum libertate eorundem vel maximè asseritur cohærere. Licèt enim Voluntas Divina se se circa actus humanos occupet, libertatem illorum dominativam (qui multorum error fuerat) non evertit. Neque enim ideo homo peccat, (ut seipsum amplissimè declarans proloquitur S. Doct: Lib: 5. de Civ: DEI C. 10. N. 2. Tom: 7.) quia DEUS illum peccaturum esse præscivit, imò ideo non dubitatur ipsum peccare, cùm peccat, quia Ille, Cujus præscientia falli non potest, non factum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit; quódsi nolit, utique non peccat, sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit. Hinc Divina præscientia de peccato futuro hominis non est causa determinativa, ex qua homo peccat, sed potiùs peccatum futurum hominis dici posset causa objectiva, ex qua DEUS peccaturum hominem præscit. Atque licèt (ùt iterum acutissimè effatur Aurelius) L. de dono Persev. C. 22. N. 57. To. 10. redargui videatur præscientia DEI, quam certè negare non possunt, si dicatur hominibus: sive curratis, sive dormiatis, quod vos præscivit, qui falli non potest, hoc eritis; dicendum est: Sic currite, ut comprehendatis; atque ut ipso cursu vestro ità vos esse præcognitos noveritis, ut legitimè curreretis, ut hominis segnitia repellatur. Cum quo sit

CA-

CAPUT I.

Fidelium mores informati in materia Prædestinationis.

Dico 1. PRænotio DEI seu prædestinatio Sanctorum, ex mente Magni Aurelii est præscientia & præparatio beneficiorum DEI, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur. *De dono Persev. C.* 14. Et hanc peculiarem circa creaturas rationales in statu viæ adhucdum existentes dari in DEO providentiam, manifestè innotescit ex illo gentium Apostoli *ad Rom*: 8. *v.* 29. *Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini Filii Sui.* Duplex ordinariè à scholasticis assignatur prædestinatio; alia ad gratiam, sive statum justitiæ, alia ad gloriam, sive felicitatem beatitudinis æternæ; prior initialis sive inchoata, posterior completa & consummata nuncupatur.

Dico 2dò. Ad prædestinationem ex parte intellectûs, requiritur scientia media, per quam DEUS infallibiliter prænoscit hominem ad salutis æternæ felicitatem non solùm perduci posse, sed revera purificata conditione ad eundem pro sua temporis differentia certò perducendum, si in certis circumstantiis talia aut talia gratiæ auxilia eidem à DEO collata fuerint; ideo prædestinatio hac ratione considerata à Theologis præscientia appellatur. Ex parte voluntatis prædestinatio importat decretum liberum, vi cujus purificanda conditione per scien-

tiam mediam prævisa decernit DEUS ab æterno quædam gratiæ auxilia congrua & efficacia se daturum homini in tempore, quibus ex suppositione consequenti purificandæ conditionis videt ille per scientiam visionis hominem infallibiliter cooperaturum, ut jam absque conditione ulteriori eundem ad gloriam & beatitudinem æternam perventurum certè & infallibiliter prænoscat.

Dico 3tiò. Effectus prædestinationis 1mus, ac principalis est: collatio gratiæ 1mæ vocantis & allicientis ad consensum salutarem, vocatúrque passim *illuminatio intellectûs*, & *inspiratio voluntatis*; prævenit hæc gratia omnem actum salutarem, utpote radix cæterorum effectuum omnium ad electionem & prædestinationem deservientium, neque confertur ex meritis prædestinati sive *de congruo*, sive *de condigno*; & hic effectus est prædestinationis *activè sumptæ*, prout nempe est immediatè à DEO prædestinante; afferti hujus veritatem percipimus ex verbis Apostoli. *2da ad Tim: C. 1. v. 9.* ubi ità: *vocavit*, nempe DEUS, *vocatione Sua sancta non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum & gratiam.* Ratio ulterior est: quia priusquam à DEO hæc conferatur gratia homini, nîl est in illo, nisì vires naturales, & peccatum, atqui nec unum, nec alterum deservire potest ad promerendam gratiam 1mam. ergo. Demum gratia 1ma est principium meriti & actûs salutaris, sed principium meriti non cadit sub meritum, ùt commune Theologorum

est

eſt effatum, ergo. Denique ità convenientiſſimè explicatur prædeſtinatio DEI: *qui ſalvandos ſalvat gratis.* Neque tamen propterea acceptor Perſonarum eſt DEUS, quia donum gratuitum, quale eſt electio ad gratiam & gloriam, beneficium audit, nulli, etiam ad finem ſupernaturalem ordinato homini uspiam debitum; unde in donis gratuitis non datur acceptio perſonarum. Ex hactenus dictis apertè colligitur, quod prædeſtinatio paſſivè accepta, & inadæquatè ſumpta quoad ulteriorem gratiæ, & auxiliorum progreſſum omnino ſit in poteſtate noſtra, quia præveniente gratiâ ulteriora DEI auxilia ſemper poſſumus promereri, exceptâ *gratiâ finali*, quæ non cadit ſub meritum, niſì *de congruo* tale, ergo.

§ I.

An & quomodo judicia divina timenda? & quos actus hæc exigant à Fideli?

Difficultatum Theoretica Series.

1mò. A *Lippius* in frequentiori peccandi occaſione conſtitutus, non alio mentis impulſu & & motivô à peccato abſtrahitur, quàm quia in memoriam recurrunt tot juſtiſſima DEI, præſcientis omnia, judicia, quibus ille partim in veteri, partim in novo teſtamento complures variis ac diverſis vitæ hujus pœnis caſtigavit. *Quær:* an timor ille judiciorum divinorum &

& pœnarum à DEO inflictarum honestus sit? & quis propriè timor servilis appelletur? 2dò. *Balbina* ad saltum & choreas ab Amasio invitata, in locum obscuriorem abducitur, ibíque sub comminatione mortis ab eodem lascivus corporis usus expetitur; interea hæc timore judicii divini percita seipsam interficit. *Quær:* quotuplex sit timor judiciorum divinorum? & an in posito casu licita fuerit occisio? itèm quando timor perversus mali cujusdam, ex quo perpetratur peccatum, sit crimen ab aliis sceleribus distinctum? 3tiò. *Camillus* Parentis moribundi adstans funali lectulo, propriis percipit auribus, genitorem suum nolle remittere injuriam sibi ab hoste illatam. *Quær:* an *Camillus* potuerit velle permissionem peccati illius, quod justô judiciô DEUS perpetrari permisit ob odium compluribus annis in hostem animô retentum? & an liceat filio velle impedire precibus mortem, aut damnationem, quæ Patri impœnitenti in Judicio divino infallibiliter eventura est. 4tò. *Didacus* annuam Confessionem propediem peracturus, actum carnalem cum Amasia exercet, existimans se in proxima Confessione expiare posse cum cæteris peccatis etiam istud crimen, tantò securior, quantò à judiciorum divinorum vindicta hactenus remotior? *Quær:* an sit præsumptio, si quis ideo peccet; quia simile peccatum comisit postea cum cæteris unâ operâ confitendum? & quale peccatum sit præsumptio in misericordiam DEI? 5tò. *Elzearius* peccator inhabituatus frequenter

in idem peccatum carnis relabitur, instat autem operosè apud Confessarium pro absolutione toties, quoties in priora reincidit, dicens: etiam DEum Judicem ad absolvendum proniorem esse, quàm ad puniendum; *Quær*: quid svadendum peccatori inhabituato? & quæ conditiones requirantur, ut recidivis peccatoribus absolutio Sacramentalis conferri possit. *6tò*. *Florimundus* Religiosus DEI judicia pertimescens, statuit similem vivendi rationem instituere, ut ad eam subinde in Cœlis gloriam & beatitudinem eluctetur, qualem B. Mater, aut Ordinis Sui Fundator consecutus est post mortem. *Quær*: an non commiserit præsumptionis peccatum *Florimundus*? & quos actus à fideli exigant judicia DEI?

§ II.

Difficultatum practicæ Solutiones.

R. ad 1. LAudabilis & honestus fuit timor judiciorum divinorum in *Alippio*, si is in frequentiori peccandi occasione constitutus, ideo peccare reformidavit, quia sancto timore perculsus, DEum malorum Vindicem offendere timuit; decisio hæc est contra Lutherum, qui art. 6. ex damnatis à Leone 10. horrorem istum pœnarum, ex quo aliqui aut oderunt peccare, aut certè pœnitere non dubitârunt, appellat affectum capitalem & pessimum; sed enim fide certum est, timorem servilem NB. talem bonum atque salutarem fore; quod prob: Ex

Exod: 20. *C.* ubi dicitur: *ut probaret vos, venit DEUS, & ut terror Illius esset in vobis, & non peccaretis*; igitur DEUS homines terrore mortis, quam populus ille formidabat videns montem fumigantem, & aliarum pœnarum absterrere voluit à peccatis. Nónne *Eccles:* 25. sichabet: *Beatus homo cui est donatum habere timorem DEI, qui tenet illum, cui assimilabitur? Timor DEI initium dilectionis illius.* Ex quibus apparet timorem judiciorum DEI & pœnarum plurimùm commendari. Quod pressiùs adstruitur *Apoc.* *C.* 14. ubi Angelus clamat voce magna: *Timete Dominum, & date Illi honorem, quia venit hora judicii Ejus*, ergo. Proinde timor judiciorum divinorum tunc verè ac propriè laudabilis atque honestus est, si procedat ex amore propriæ indemnitatis, non ùt finis ultimi, sed ùt rei, quæ suapte natura per charitatem referri & ordinari potest ad DEUM, ùt ad finem ultimum bonorum omnium. Ità docuit *D Th: a.* 6. *&* 4.; tunc verò timor servilis malus & inhonestus est, quando oritur ex amore proprii individui, tanquam finis ultimi, cujus afflictivum est omne illud, quidquid à DEO malorum Vindice irrogatur; tum etiam, quando ità timetur malum pœnæ temporalis, ut potiùs præ illa eligatur offensa & indignatio DEI, prout fieret, dum in gratiam hominis judicis, qui te ad mortem condemnare potest, non reformidas committere furtum, aut aliud peccatum. Plura de hoc *Gregor: de Valent: Disp:* 2. *Q.* 2. *de Tim: punct:* 3. *fol:* 621.

R. ad

R. *ad* 2. Secluso speciali instinctu divino *Balbina* seipsam sub culpa lethali occidere nequaquam poterat, ut sui corporis integritatem conservaret, atque adeò in modo excessit, quia ea ratione, qua oportebat, DEI judicia non timuit. Ratio est: quia nuspiam licet facere malum, ut eveniat bonum, tum quòd solùm inter duo mala liceat tunc eligere minus, quando mala illa in se revera habent aliquid elegibilitatis, atqui dicta in casu scelera nihil in se elegibilitatis continent tanquam mala moralia & culpa Theologica, ergo. Dixi antè secluso speciali instinctu divino, poterat enim se trucidâsse puella ad exemplum D. Apolloniæ aliarúmque SS. Virginum, quæ ad servandam illibatam Virginitatem in flammas & enses paratæ abierunt. Imò si & *Balbina* ex inculpabili ignorantia operata fuit, actum exercuit dictamini conformem, adeoque formaliter honestum. Multiplex quidem à Theologis assignatur modus, quô timeri possint judicia DEI, quos inter tamen timor *Balbinæ* non continetur. Sequentes igitur adstruuntur 1mò timeri possunt judicia DEI *timore filiali*, qui cùm procedat ex charitate honestus est; timemus autem illo timore offendere DEUM, & ab eo per peccatum separari. 2dò. est *timor servilis* quô timentur pœnæ à DEO vindice peccatoribus constitutæ. Quô autem timor iste pactô salutaris sit, antè dictum est. 3tiò *timor mundanus* est, quô plus timetur omne malum pœnæ temporalis, quàm quæcunque culpa & DEI indignatio; atque iste ti-

 mor

mor peccatum mortale ab aliis distinctum tunc est, quando, absolutè abstrahendo ab occurrente occasione alterius peccati, inordinatus est; tunc verò crimen ab alio peccato distinctum non est, dum timor mundanus cum alio concurrit, ùt v. g. dum jussu Parentis Filius Familias committit homicidium ex timore nè à genitore suo pœnas luat. ità *D. Th: 2da 2dæ Q. 22. a. 2. Valentia Disput: 2. Q. 2 Bann: a. 3.*

℟. *ad 3* Quamvìs regulariter loquendo non possimus optare, ut DEus permittat nos labi in aliquod peccatum, supposito tamen, quòd DEus permissionem illam velit, non est illicitum eandem approbare; unde seclusô semper affectu ad peccatum, poterat *Camillus* velle permissionem peccati, quod justô judiciô à Parente suo perpetrari permisit DEus; non tamen aliter velle potuit, quàm sub eo motivo, sub quo DEus illam peccati permissionem volebat. Quantumvis autem DEus ob peccatum illud odii, quod fieri permisit, & simul ob finale peccatum impœnitentiæ, à se infallibiliter prævisum, justissimè morti temporali & æternæ addixisset Parentem Camilli, poterat tamen ipse, ùt Filius DEum precari & affectu inefficaci ac conditionatio voluisse utrumque hoc malum à Genitore suo penitùs avertere; ità D. August in Enchy. C. 10. Probatúrque assertum exemplo Christi amore conditionato mortem refugientis; ratio insuper est: quia cùm idem objectum possit sub una ratione repræsentari ùt bonum, & sub alia ùt malum, DEus tanquàm providen-

tis-

tiſſimus creaturarum Gubernator poteſt aliquid velle ùt conducens Bono communi, cujus oppoſitum poteſt homo deſiderare licitè, & illud conari impedire ut repugnans bono particulari. Sic inquit S. Thom. Judex habet bonam voluntatem, dum vult occiſionem latronis, quia juſta eſt, voluntas autem alterius, puta uxoris aut filii, qui vult non occidi, inquantum adùm naturam illi mala eſt occiſio, etiam bona eſt; atqui ſimile quid in præſenti caſu contingit, ergo. Notandum tamen: illam voluntatem debere eſſe ſolùm inefficacem & conditionatam, quia quando conſtat DEum ex parte ſua efficaciter aliquid velle; temerarium foret ac impium huic SS. Voluntati deſiderare oppoſitum. Si tamen non omnino conſtat de abſoluta & efficaci DEI voluntate, poſſumus etiam efficaciter velle, quæcunque mala à nobis, aut proximo avertere, præſertim cùm DEus plerumque hæc non velit, voluntate antecedente efficaci, ſed tantùm conſequente, poſito nimirum, quòd conatu & precibus noſtris non impediantur.

R. ad 4. Ex hoc ſolo, quod cum Amaſia carnaliter peccârit, *Didacus* exiſtimans, ſe unâ operâ cum cæteris culpis, poſſe etiam iſtud in tribunali pœnitentiæ expiare, non commiſit peccatum præſumptionis, ratio eſt: quia licèt per hoc oſtendatur, animum malè eſſe diſpoſitum, qui à peccato plus deterreatur ob pudorem vel difficultatem confitendi, quàm per aliud motivum, tamen ex illa intentione peccare, nîl eſt aliud, quàm ſe ſolvere à metu no-

væ, & districtæ erubescentiæ, sive difficultatis in confitendo; ità Tann. Tom. 3. Disp 2. Q. 1. N. 79 Burgh. Cent. 1. Cas. 31. Si tamen peccans sibi promitteret tam facilè remissionem plurium peccatorum, quàm unius, & ideo sæpè peccaret, esset præsumptio mortaliter peccaminosa, ùt habetur apud La Croix Lib. 2. N. 127. Est verò peccatum præsumptionis ex genere suo mortale, utpote fiducia inordinata obtinendi à DEO gratiam & gloriam, cæteráque dona supernaturalia aliter, quàm ipse statuit, esse obtinenda. Imò S. Thom. dicit esse peccatum in Spiritum sanctum, quia per illam præsumptionem tollitur, vel contemnitur adjutorium Spiritûs Sancti, hoc tamen maximè intelligendum est de præsumptione conjuncta cum infidelitate; nam in aliis quibusdam præsumptionibus, quæ possunt esse sinè infidelitate, notat Suarez fieri posse, ut sit tantùm culpa levis.

℞. *ad 5. Elzeario* ad expugnandum pravum carnaliter peccandi habitum, suadenda est 1. frequens peccatorum detestatio & actus contritionis, quod ipsum in pœnitentiam per dies aut hebdomadas confessarius præscribet. 2dò. Crebrior Confessio atque Communio, & quantum fieri potest constantis Confessarii frequentatio. 3tiò. Fuga otii & peccandi occasionis. 4tò. Preces jaculatoriæ ad Virginem Immaculatam, Sanctósque cumprimis castimoniæ laude florentes. 5tò. Voluntariæ quæpiam corporis afflictationes. Quodsi *Elzearius* cum eodem sæpiùs pec-

peccato redeat ad Confessarium, neganda illi foret in his circumstantiis absolutio, si primò pœnitens recidivus multoties idem omnino peccatum adferat. 2dò. Si relapsus nimiùm frequentes fuerint. 3tiò. Si in præsenti Confessione nullum est indicium majoris doloris aut firmioris propositi, quàm in præcedentibus; si nempe pœnitens post ultimam Confessionem non adhibuit solitô majorem conatum ad sui emendationem per numeri peccatorum imminutionem. 4tò. Denique si cædem manent circumstantiæ, & eædem peccandi illecebræ, ùt eadem domus, iidem socii. Cæterum quod secundam conditionem attinet, attendendum est confessario in ordine ad prudenter judicandum, & naturam & circumstantias peccati; nam aliter sentiendum de illis, quæ ore vel cogitatione fiunt, quàm de illis quæ opere consumмantur; aliter de istis, quæ statim post Confessionem & iis, quæ aliquamdiu post committuntur; aliter de his, quæ brevi, & illis, quæ longiori temporis intervallo; nam certum aliquod peccatum censebitur frequenter committi, si ter, quatérve per hebdomaden recurrat, non verò si toties per mensem; iterum: sunt quædam peccata, quæ minori cum advertentia, & deliberatione committi solent, pro quibus proinde requiritur major numerus, ut censeatur frequens in illa relapsus, in ordine ad negandam aut differendam absolutionem, quæ omnia prudens Confessarius advertet ut securè judicet. Ità ferè P. Tabern. in Synop. Theol. Pract. P. 2. Tr. 4 §7. C. 4.

R. *ad 6.* Peccatum præſumptionis omnino commiſit *Florimundus* tantam in cœlis appetendo gloriam, quantam ex ſpeciali maternitatis privilegio & ob ſingularem gratiarum majoritatem DEIparæ Virgini in Cœlis poſt mortem attribuit DEus; non tamen culpam Theologicam contraxit NB. deſiderando gradum gloriæ ſuo S. Ordinis Fundatore majorem, & excellentiorem. Ratio prioris eſt: quia peccatum præſumptionis non ſolùm committitur tunc, cum quis inordinatè innititur potentiæ ac miſericordiæ DEI, puta ſperando à DEO gloriam ſinè bonis operibus ac meritis, prout ex nunc faciunt hæretici, ſed etiam in tali circumſtantia, dum quis expectat ex DEI miſericordia, quidpiam excedens leges ordinarias divinæ Providentiæ, atqui ſimile aliquid expectat in altera vita *Florimundus*, cum in gloria beatitudinis æternæ adæquare deſiderat Matrem SS. cui extraordinaria Bonitatis Divinæ largitate poſt Chriſtum conceſſus eſt ſummus, ac ſupremus gradus gloriæ in Cœlis, ergo. Ratio autem poſterioris eſt: quia conniti ad aliquid, quod intra lineam ordinariæ Providentiæ DEI etiam in ordine ſupernaturali continetur, non eſt actus & peccatum præſumptionis, ſed potiùs laudabilis actus magnanimitatis juxta illud Apoſt. ad Philip. 3 *Quæ retro ſunt obliviſcens, ad anteriora me extendo.* Unde cenſuit Apoſtolus debere hominem eniti tranſcendere humana & mortalia, atque cum divinis, quoad fieri poſſit, intimiùs conjungi, ùt ait Greg. de Valent.

Diſp:

Disp. 8. Q. 3. Punct. 2. Pro coronide notandum venit, multos esse actus, quos à fideli exigunt judicia DEI, & tales sunt principaliter actus virtutum Theologicarum; fide enim divina DEum bonorum Remuneratorem credimus, & malorum Vindicem cognoscimus, atque sic Eundem timemus, & ad opera vitæ æternæ meritoria, ac difficilia exercenda incitamur. Idem proportionatè est de charitate Theologica, cujus motivo allecti DEum cunctis appretiativè præferimus, & nec quidem ardorem Gehennæ sustinere reformidamus &c. 2dò. Est actus Sacramenti Pœnitentiæ; valde enim deterrentur plurimi à DEI Vindicis offensis reiterandis, quòd sciant ad seriò pœnitendum requiri, ut omnia peccata quoad speciem infimam & numerum Confessori exponantur; aut si copia illius desit actum saltèm charitatis Theologicæ dolore formatum, eúmque cæteros inter virtutum actus difficillimum eliciant; sinè quo extra Sacramentum peccata in præsenti providentia nunquam remittuntur. Tertius actus est humilitatis à divinis judiciis exigitus, quo DEI infinitam excellentiam & virium nostrarum imbecilliratem recognoscamus. Deinde actus orationis & deprecationis est, quô Cœli robur, gratiæque efficaciam ad salubriter operandum frequentiùs imploremus. Demum actus fortitudinis, ut dœmoni tentanti, aliísque animæ hostibus invictô animô resistamus. Tandem actus memoriæ & recordationis novissimorum, ità quippe in æternum homo non peccabit.

bit. Denique multa sunt, ad quæ propositis judiciis divinis incitamur: scilicet, ut nunquam arbitrariè nos de salute nostra assecuremus, semper vigilemus sobrii, & bonis operibus intenti vivamus, nè fraude diabolica supplantemur, vel imparati morte improvisa ex altissimis DEI judiciis opprimamur. Ità parænecticè Leonard. Less. de just. & jur. in Opusc. var. Consl. 2. fol. 93.

§ III.

Certúsne, an incertus ex Præscientia divina de salute fidelis? sperandúmne semper, an aliquando desperandum fideli?

Difficultatum Theoretica Series.

1mò. GErmanus in omnem vitæ licentiosæ libertatem effusus ex hoc solo affirmat se ad salutem prædestinatum, quia scelera ipsius impunè abeunt, cùm interim aliorum facta severè castiget DEus. *Quær.* An certus sit de prædestinatione sua *Germanus*? & quare sæpius, multo tempore ab impiis cõmmitti sinat crimina Vindex malorum DEus? *2dò. Hortulana*, præ cæteris formosior se de salute sua assecuratam plaudit ideo, quod vultum suum propè Angelicæ pulchritudini assymbolum à DEO Creatore fuerit consecuta. *Quær.* An faciei gracilitas, signum sit prædestinationis? & qua ratione ab errore suo dedocenda veniat puella? *3tiò. Jodocus* prædestinationis sorte ac felicitate

ob

ob id se gaudere existimat, putans, DEum mala sua opera, atque blasphemias nullatenus curare; ferè sicut magni Principes, quorum status in tuto est, nihil pensi habent vanæ plebeculæ dicta. *Quær.* An ille omnino inter prædestinatos se se reputare possit? & quid de ipsius dictamine sentiendum? 4tò. *Koriander* in continua paupertate vitæ suæ dies ægerrimè traducit, desperat igitur de salute ex hoc erroneo judicio, quòd DEus sui penitùs videatur fuisse oblitus. *Quær.* Imprimis, quomodo Confessarius desperatum animum erigere debeat? & quàm grave peccatum sit desperatio. 5tò. *Landolphus*, quotiescunque sive mentali, sive vocali oratione DEum honorare contendit, semper ariditatem in precando experitur, quare DEI opem ultrà non implorat, sed plenam spem suam in directione Confessarii locat. *Quær.* An semper sperandum? an aliquando desperandum? & utrum spes consequendæ salutis reponenda sit in hominibus? 6tò. *Macrinus* post repetitas peccatorum luxuriæ Confessiones, gravissimas experitur carnis tentationes; unde ità apud se constituit: Observo quòd DEus gratias efficaces ad abstinendum ab hisce peccatis mihi daturus non sit; fruar igitur deliciis, quamdiu vires suppetunt, neque enim post mortem aliqua est voluptas. *Quær.* Unde oriatur desperatio, & an haberi possit absque infidelitate?

§ IV.

Difficultatum practicæ Solutiones.

R. ad 1.

R. ad 1. ERroneum eſt judicium *Germani* exiſtimantis, ob id ſolùm ſe ad ſalutem prædeſtinatum eſſe, quòd ſcelera illius impunè abeant, cùm interim aliorum facta ſeverè caſtiget DEus. Ratio eſt: quia notæ ac ſigna prædeſtinationis ſunt actus virtutum eximiarum, per quos conjecturaliter cognoſcuntur, qui de Ovili Chriſti ſunt; atqui licentioſa *Germani* vita eſt omnis virtutis & honeſtatis expers, ergo. Quòd autem DEus ſæpe ſæpius longo tempore impunè quorundam crimina abire ſinat, ſpectat id ad ſvavem Omnipotentis Gubernatoris Providentiam, hôc enim maximè divina commendatur Benignitas, quæ dum lentè procedit ad vindictam, peccatores expectat ad pœnitentiam. Neque tamen expers eſt juſtitiæ & ſeveritatis, quia ſæpe miris modis etiam in hac vita peccata hominum punit, ut hi luculentè intelligant, nequaquam DEum dormire, ſed tempore ſuo exacturum ſeveriſſimam omnium rationem. Leſſ. Lib. 1. de Prov. C. 3. N. 167.

R. ad 2. Etiam *Hortulanæ* pulchritudo atque decor faciei non eſt ſignum aut indicium prædeſtinationis, ex quo ſibi de ſalute ſua aſſecurationem promittat, ità cum communi PP. Leſſ. cit. Lib. C. 2. Ratio eſt: quia ſigna prædeſtinationis dicuntur illa, quibus manifeſtatur, debita vitæ & morum Chriſtianorum compoſitio; talia ſunt: pœnitentia, mortificatio, ſitis audiendi Verbi DEI, frequens & debitus uſus Sacramentorum, timor & fuga peccati, ſtudium

orationis, humilitatis, aliarúmque virtutum exercitium; atqui in horum syllabo non continetur formæ gracilitas, quæ potiùs sæpe est incentivum libidinis, quàm signum virtutis, ergo. Dedocenda igitur virgo est à nugaci errore, poterítque eidem proponi, donum pulchritudinis duntaxat intrà naturæ limites contineri, quæ ad finis supernaturalis consecutionem nihil conducit; & aliunde constat vultuum ac formarum diversitatem alio ex fine à rerum omnium Creatore definitam in mundo esse, ut nimirum mariti uxores, Parentes liberos, amici inimicos, creditores debitores, Magistratus maleficos, Subditi Principes suos cognoscant, atque ordinata charitate prosequantur, ergo.

R. *ad* 3. Iterum temerarium est in casu dictamen *Jodoci*, Ratio est: quia homo, cùm sit opus DEI, cujus menti ipse leges Justitiæ omnísque virtutis impressit, etiam ad eum pertinet curam hominis gerere, ut conformiter ad has leges vivat; ad opificem enim spectat opus suum accurare, ut illud perfectum evadat; ad Legislatorem pertinet, ut leges subditis impositæ serventur; Parentis interest de filiorum moribus curare; quantò igitur magìs ad DEum pertinebit eximium opus suum, hominem nempe curâ debitâ non destituere, præsertim cùm absque omni labore providentia in DEO istud præstare possit; ità passim Theologi contra Atheos & Libertinos; unde patet, nullô argumentô *Jodocum* de prædestinatione sua ex simili dictamine, securum esse posse, ergo.

R ad 4. Desperatio *Koriandri* est blasphema, consequenter peccatum gravissimum; ratio est: quia detrahere aut negare velle DEO perfectionem essentialem, summa est blasphemia, atqui hanc Numini negat *Koriander*, quod providentiam circa se habere inficiatur, ergo. Quòd autem etiam peccatô desperationis se obstrinxerit blasphemus iste, patet: quia juxta S. Thomam & Suarez aliósque, desperatio nîl aliud est, quàm animi dejectio, qua quis refugit beatitudinem prosequi, ex apprehensione difficultatis, aut impossibilitatis illam consequendi; atqui *Koriander* reputat sibi impossibile esse consequi salutem, cùm se à DEO desertum, & derelictum imaginetur, ergo. Itaque prudens Confessarius eriget animum desperati dicendo: Providentissimè DEum quosdam in hoc mundo sinere cum paupertate luctari; illud enim est medium, quô nonnullos in bono conservat, & virtutum ornamentis excolere solet, ad exemplum Unigeniti Filii sui, quem innumeros paupertatis effectus in nativitate, vita & morte, voluit experiri; existimet proinde *Koriander* se viâ eâdem ad felicitatem promotum iri, qui, si fortè opibus abundaret, ad turpitudines vitámque pecuinam, iisdem abuteretur. Proderit etiam cum simili actus virtutum Theologicarum elicere, cùm per desperationem virtus spei amissa sit. Demonstrari simul gravitas peccati desperationis debebit, quod peccatum ex parte nostra aliis longè periculosius est, cùm tollat omne propè remedium salutis, sítque causa gravissimorum scelerum.

R ad

R. ad 5. Landolphus ſpem, & fiduciam ſuam plenam, in ordine ad conſequendam ſalutem reponens in Confeſſario, peccat mortaliter, committítque ſcelus grave deſperationis. Ratio eſt: quia ſpem vel ex toto, vel ex parte, reponere in bono aliquo creato, eſt poſitivè finem ultimum contemnere, mediáque omnia ad eundem obtinendum deſervientia repudiare; atqui idipſum eſt peccare mortaliter, peccatô deſperationis, ergo. Ex quo ſequitur: licèt obligatio non ſit, *ſperandi ſemper*, exiſtat tamen obligatio, *deſperandi nunquam.* Ratio 1mi. eſt: quia præceptum de ſpe elicienda, eſt affirmativum, quod duntaxat aliquando & certis circumſtantiis ad ſui obſervationem obligat; patet id, vel ex damnata ab Alexand. VII. Propoſit. quæ ſic habet: *Homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Præterea: communis eſt opinio, obligare præceptum ſpei, *per ſe* ſub initium uſûs rationis, quando quis ſufficienter eſt inſtructus de æterna beatitudine, & mediis ad illam conſequendam neceſſariis; itèm in fine vitæ, ac præterea aliquoties in vitæ decurſu; quoties autem, aut quo præcisè tempore? hactenus determinatum non eſt. Obligat autem *per accidens*, quando urget præceptum quarundam virtutum, quæ exerceri non poſſunt ſinè ſpe, ùt ſunt actus orationis, pœnitentiæ &c. itèm quando aliquis graviter tentatur deſperatione cum periculo conſenſûs, nisì tenta-

tioni resistat per actum spei. Huc pertinet oratio dominica, in qua continentur ea, quæ à DEO petere, & sperare debemus. Ratio est 2di. quia præceptum non desperandi, est negativum, quod semper & pro omni tempore, atque circumstantia hominem obligare non desinit. Porro spes Theologica reponi debet in solo DEO, cùm virtus adæquatè divina sit speciali attributo DEI, ejus videlicet *bonitati respectivæ* ex toto innixa; unde spem ac fiduciam habere in hominibus, aut aliis rebus creatis, non aliter à lege permissum est, quàm ùt in iis in tantum solummodo confidamus, in quantum nos cum DEI auxilio adjuvant ac promovent, ad salutem, & beatitudinem æternam consequendam. Ità Azor. Instit. moral. Lib. 9. C. 2. Quæst. 7.

R. *ad* 6. Crimine desperationis etiam suam innodavit conscientiam *Macrinus*, spem abjiciendo de consequendis efficacibus auxiliis, ad evitanda luxuriæ flagitia deservituris, imò & peccatum impœnitentiæ, ac obstinationis, non tamen crimen lethale infidelitatis admisit. Ratio 1mi. patet ex aliàs dictis, quia abjicere animum ad quærenda media, & remedia salutis, manifestum peccatum desperationis est. Ratio 2di. inclarescit ex hoc: quia velle habere actualem affectum ad peccatum, & velle positivè perseverare in peccato, atque nolle uspiam converti ad Dominum, gravis est obstinatio atque impœnitentia, ergo. Denique ratio 3tii. est: quia licèt *Macrinus* practicè erret, judicando

DEum

DEum ad evitanda luxuriæ peccata sibi in auxiliis efficacibus dandis defuturum, non habet attamen judicium universale speculativum, quô judicaret: DEum non remittere peccata pœnitentibus, aut nolle dare peccatori gratiam, ad conversionem necessariam; ex quo ipso deduci, ac inferri potest: desperationem sinè infidelitate persæpe haberi in subjecto, hominéque desperante. Oritur autem desperatio partim ex luxuria, in quantum homo deditus voluptatibus carnalibus, fastidit bona spiritualia, & ea, tanquam nimìs ardua & excellentia, non sperat; partim, & specialiùs ex acedia: in quantum ex nimia animi dejectione, non insurgit homo contra difficultates occurrentes in prosecutione boni ardui; neque æstimat illud sibi esse possibile; huc etiam revocatur, ea animi abjectio, qua quis vellet bonis terrenis perpetuò frui, & cœlestia DEO, atque Beatis inconsultè relinquere. Ità cum communi Theologorum sensu Sanchez Lib. 2. C. 33. N. 6.

CAPUT II.

Fidei veræ mos confirmatus in propugnanda præscientia & prædestinatione à Fideli.

Assero 1. DEUS neminem adultum supposità gratiâ reprobat, aut prædestinat absque ullo hominis merito vel demerito. Neque hoc asserere est contra præscientiam divi-

nam. P. *imò*. Cum Catholicis contra Calvinum Lib. 1. Inſtit. C. 21. § 2. & 7. Quia DEus ab æterno decrevit creare in tempore homines, eósque elevare ad ordinem gratiæ, & gloriæ, ità: ut quantum ex parte ipſius eſt, nullus periret; ſed omnes æternæ vitæ hæreditati adſcriberentur; atque in ordine ad hunc finem conſequendum definivit varia auxilia, prævidítque, alios datis auxiliis non cooperaturos finaliter, alios cooperaturos, & hoc viſo iſtis ſupplicia æterna, illis gloriam decernit; atqui eo ipſo prædeſtinatio à meritis noſtris gratiâ ſuppoſitâ, cum qua operamur, reprobatio à demeritis dependet, & non purè à beneplacito DEI, ergo. Ratio eſt 2dò. Quia vita æterna adultis datur ùt merces, merces autem non confertur nisì propter opus condignum, ergo etiam prædeſtinatio ad gloriam ùt mercedem, non datur nisì propter opus ſive meritum, ergo. Quod autem reprobatio fiat ex demeritis nimiùm inclareſcit vel ex hoc: quòd Matth. 25. jubeat Dominus ire in ignem æternum eos, qui non fecerunt bona opera; & alibi iterum ait: *Recedite à me operarii iniquitatis.* Denique DEus non evaderet notam crudelitatis, ſi ante omnem culpam damnaret ad pœnam æternam, ergo.

Sed contra: Si hæc doctrina ſubſiſtit, ſequitur: prædeſtinationem divinam non fore liberalem, quod dicere, eſt injuriam DEO inferre. *Ità verò* hoc ſenſu prædeſtinatio liberalis eſt, quòd ſupponat gratiam efficacem liberaliter, & ſinè ullo noſtro merito datam;

DEus

DEus quippe nulli in particulari tenetur dare gratiam efficacem, nec gratiam primam homo mereri poteſt; quòd ergo illam det, facit hoc ex beneplacito ſuo; dicit enim: *Miſerebor, cujus miſerebor*; quòd autem huic & non alteri det, conſequenter unum præ altero eligat ad gratiam illam efficacem, ſive auxilium efficax, agit hoc extra dubium ex juſtiſſimis cauſis, quæ nos latent, neque in eas inquirere curioſiùs absque nota gravis præſumptionis licet; ſed potiùs cum Paulo exclamandum eſt: *O altitudo divitiarum, ſapientiæ & ſcientiæ DEI*; ergo. *Sed contra.* Ex Epiſt. ad Rom. C. 9. *Cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, ut ſecundùm electionem propoſitum DEI maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*; ergo (Quod Calvinus arguit) prædeſtinatio etiam ad gloriam ùt mercedem fit ſinè omnibus operibus noſtris.. Et nónne v. 16. ſic concluditur: *Igitur non volentis, neque currentis* (en opus) *ſed miſerentis eſt DEI*; Iterum v. 18. ergo *Cujus vult, miſeretur, & quem vult, indurat*, ergo. Denique v. 21. *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* ergo. *Ità enim verò*: in his omnibus textibus nîl præſidii habet Calvinus, ideo: quia in his non agitur de reprobatione à gloria, ſed à gratia; indè nihil aliud ex his colligi poteſt, quàm DEum inæqualiter ſua dona diſtribuere & bo-

 na;

na; ità ut in pari duorum causâ, possit uni plus elargiri, quàm alteri; sic Jacobum prætulit fratri Esau in benedictione temporali; sic licèt Pharao & Nabuchodonosor rebelles DEO fuerint, attamen misertus est hujus, illum obduravit. Denique ex duobus peccatoribus, potest unum assumere ad suam gratiam ex sua misericordia, alterum relinquere in peccato ex sua justitia. Si quæras? cur ità DEus agat? Repono iterum cum Paulo; *O altitudo divitiarum &c. Quis cognovit sensum Domini?* Si iterum quæras? Cur Judam damnavit DEus? Paulum salvavit? repono: illum damnâsse ob finalem ejus improbitatem, hunc salvâsse ob finalem illius probitatem. Unde (quod sub initium innui) duplex datur electio, una ad gratiam, altera ad gloriam; ista independenter fit à meritis nostris, neque enim cadit sub meritum; hæc dependenter à meritis; similiter duplex intelligitur prædestinatio; una imperfectè & inchoativè talis, nempe ad gratiam efficacem prævenientem, à qua incipit prædestinatio ad gloriam, & illa est independens à meritis nostris, altera autem perfecta, nempe ad gloriam æternam, & hæc dependenter à meritis fit; atque ità: licèt gratia detur gratìs, ipsa tamen gloria non datur gratìs, sed propter opera, quæ facta sunt cum illa gratia liberaliter data, ergo.

Sed contra: Ex hoc sequeretur; omnes homines eo fine esse creatos, ut omnes salvi fiant, cùm omnes possint gratiæ cooperari; quod

quod falsum videtur. *Nequaquam* hìc subest falsitas, probant enim id PP. vel ex *Gen. 1. C. Creavit DEUS hominem ad imaginem & similitudinem Suam*; his enim duabus vocibus: *Imaginem & similitudinem*, dicunt designari dona tam gratiæ, quàm naturæ; videlicet præditum fuisse hominem intellectu & voluntate, atque liberô arbitriô, itèm gratiâ, virtute & sanctitate; quorsum autem hæc? nisì ut his mediis adjutus, salvari, si vellet, posset, ergo. Hinc sequitur contra Calvinum, nullum ante originale peccatum ad mortem & interitum, divina Voluntate damnatum fuisse; quæ conclusio est SS. PP. Et confirmatur ex Paulo, qui vovet, ut per Christum reformemur ad illum statum, ex quo per peccatum Adami excidimus. Vide ad *Ephes: C. 4.* atqui reformamur ad vitam æternam, ergo creati sumus ad vitam æternam capiendam.

Assero 2dò. Decreta DEI sunt ab æterno, éstque æternitas DEI indivisibilis; neque Decreta DEI æterna tollunt libertatem voluntati humanæ. Et hoc tenere, est conforme DEI Præscientiæ & Prædestinationi. *P. 1ma. P.* Quia aliàs darentur in DEO accidentia realia sicut in Angelis & hominibus, quod omnino falsum est; neque enim in substantia DEI infinitè perfecta potest dari potentia passiva, ad ampliùs perfici; perficeretur autem, si decreta DEI non essent æterna, sed solùm accidentia aliqua realia, quæ in DEO recipi deberent, ergo. Accedit: quia decreta DEI sunt ipsa realiter

ſubſtantia DEI, ergo cùm hæc ſit æterna, etiam decreta divina erunt ab æterno, ergo. *P. 2da P.* Æternitas DEI non eſt accidens, ſed Ipſa Divina ſubſtantia; hæc autem eſt indiviſibilis, aliàs enim DEUS foret mutabilis, cùm partes haberet ſibi invicem ſuccedentes, ergo. *P. 3tia P.* Quia nec præſcientia conditionata tollit libertatem, neque abſoluta, conſequenter decreta æterna DEI non inferunt agendi neceſſitatem; *P. A.* Non conditionata: quia ex eo, quòd eſſem facturus aliquid ſub conditione, non video, quomodo neceſſiter ad illud faciendum? non enim habet neceſſariam connexionem, ſtatus conditionatus cum abſoluto; ergo. Non etiam Præſcientia abſoluta tollit libertatem; quia illud tollit libertatem, quod prius naturâ eſt ad effectum, & cum poſitione illius neceſſariò connexum; eo enim caſu voluntas in actu 1mò ità determinatur ad ponendum effectum, ut non poſſit non ponere; atqui ſcientia abſoluta non præcedit naturâ operationem voluntatis, ſed ſupponit futuritionem operis, ità ut non ipſa ſcientia Divina ſit cauſa operis, non enim ego ideo operabor, quia præſcit me DEUS operaturum, ſed ideo præſcit DEUS me operaturum, quia ego operabor, ergo. Idipſum Severinus Boëtius hac declarat ſimilitudine: non ideo, inquit, tu ſedes, quia ego te ſedentem video, ſed ideo ego te video ſedentem, quia tu ſedes; & ſicuti tu potuiſti ſedere, licèt ego non viderem, ità & ſi per impoſſibile DEUS neſciret futura,

ad-

adhuc opus meum eſſet futurum. Ex quo manifeſtè apparet: præſcientiam DEI non eſſe quid naturâ antecedens futuritionem operis; itaque non ideo, tu finaliter peccas, quia te videt DEus finaliter peccaturum, ſed ideo te videt finaliter peccantem, quia tu finaliter peccas; ut ergo DEUS ſciat te peccare vel non peccare, in tuo eſt arbitrio id efficere. Ex hac proinde doctrina non plus infertur, quàm me neceſſariò peccare NB. neceſſitate conſequente; non verò antecedente; antecedens enim neceſſitas eſt, quæ oritur ex cauſa antecedente neceſſaria determinata, ſive neceſſariò connexa cum effectu; *Ex: Gr.* Cras orto ſole illuminatio neceſſariò ſequetur neceſſitate antecedente, quia procedit à ſole, qui eſt cauſa neceſſaria, & ex natura determinata ad illuminandum; conſequens autem neceſſitas eſt: quæ non oritur ex tali cauſa, ſed ex ipſa poſitione effectûs, etſi effectus liberè à cauſa procedat, adeoque liber ſit. Hæc ergo neceſſitas non tollit, ſed ſupponit libertatem. Atque quod dixi ex nunc de Præſcientia, convenit ſimul prædeſtinationi: Nam Petrus, quem prævidet DEUS finaliter peccaturum, neceſſariò peccabit, non quidem neceſſitate antecedente, quia nulla eſt antecedens cauſa, ùt oſtendi, ſed neceſſitate conſequente; poſito enim, quòd ſit peccaturus, non poteſt non peccare. Porrò & hoc infero: Si DEUS prævideat te damnandum, infallibiliter quidem damnaberis, non tamen neceſſariò, neceſſita-

te

te videlicet antecedente; non enim ideo damnaris, quia DEUS videt, sed ideo videt, quia tu damnaberis propter tuam finalem impœnitentiam; aliud autem est *infallibiliter*, aliud *necessario*; potest enim aliquid esse certum, & infallibile, & tamen non necessarium antecedenter; sic dum loquor, est infallibile me loqui, & tamen liberè loquor, ergo.

Sed contra imò. contra imum. Decreta DEI sunt libera, substantia DEI est necessaria, ergo hæc non possunt esse æterna, sicut substantia. Iterum: Substantia DEI est unica, decreta sunt multa; aliud enim est decretum creandi homines, aliud creandi Angelos, ergo decreta non sunt idem cum substantia, consequenter nec æterna. Accedit: quòd omnis causa libera antecedat effectum suum tempore & duratione; libera enim actio, supponit deliberationem in intellectu, atqui DEUS est causa libera respectu decretorum liberorum, ergo hæc antecedit tempore, consequenter non sunt ab æterno. *Ità verò* sunt libera quoad denominationem, & ratione nostra C. sunt libera secundùm realem entitatem N. Eadem enim Essentia, ùt denominatur volens, concipitur libera respectu actionum ad extra, ergo. Iterum N. decreta NB. realiter esse multa, sed unicum, quô omnia & singula decernit; sicut non est nisì unicus realiter actus intellectûs, quô se, & omnia cognoscit. Actus igitur tam intelligendi, quàm volendi sunt ipsa realiter substantia DEI. Tandem hoc hæreticum argumen-

mentum ità eludo: substantia DEI est unica, Personæ tres, ergo Personæ non sunt idem cum substantia; ergo. Sicut autem Essentia Divina potest esse in tribus realiter distinctis Personis, ità & idem decretum, & actus scientiæ circa plura objecta versari; & sicuti pluralitas Personarum non obstat, quò minùs sit unica simplex Essentia, ità multitudo objectorum non obstabit, quò minùs unum realiter sit decretum, & unus actus scientiæ respectu omnium illorum objectorum, ergo. Tandem N. causam liberam antecedere debere effectum tempore; nam juxta D. Tho: & gravissimos Theologos Angeli 1mo suæ creationis instanti elicuerunt actus amoris Dei, & Christus in 1mo instanti suæ conceptionis, liberè acceptavit mortem pro redemptione humani generis, ergo ad actionem liberam non requiritur prioritas temporis; nec obstat, quòd prærequireretur deliberatio, cùm enim uterque sit actus spiritualis, cur non possent eodem instanti reali simul existere; sufficit ergo prioritas naturæ.

Sed contra 2dò. Si æternitas DEI est indivisibilis, & tota simul, ergo coëxistit omnibus temporum differentiis; hoc autem non: quia aliàs hæc absurda sequuntur. *1mò.* Tempus præsens, præteritum, & futurum, simul existere respectu æternitatis. *2dò.* DEum posse facere, ut præteritum non sit præteritum, & futurum non sit futurum, quia utrumque est præsens æternitati. *3tiò.* Primum mundi annum esse hunc præsentem, ergo. *Ità enim verò* con-

fe-

ſequentia legitima eſt, ſed ſequela, indè deducta, illegitima ideo: quia æternitas DEI coëxiſtit quidem omnibus partibus temporis non tamen ſimul, ſed diviſim ſumptis, & ſibi invicem ſuccedentibus; ſic herì tota æternitas coëxiſtit heſterno tempori, hodie coëxiſtit tota hodierno, cras craſtino; hinc autem non ſequitur omnes partes, ſive differentias temporis coëxiſtere, nec ſequitur tempus præteritum non eſſe præteritum &c. Quod declaro hôc exemplô: Cœlum quantum quantum eſt, coëxiſtit hodie Imperatori Franciſco I. ante illum coëxiſtebat Carolo VI, & olim coëxiſtet ſucceſſori; an indè ſequitur hos Imperatores eſſe hodie? certè non, ergo à pari; applicet hæreticus Ephod.

Sed contra 3tiò. Si decreta DEI ſunt ab æterno & immutabilia, ergo prædeſtinatus neceſſariò ſalvatur, reprobus neceſſariò damnatur; vel enim homo eſt prædeſtinatus vel reprobatus; ſi prædeſtinatus? neceſſariò ſalvatur quidquid tandem egerit; ſi reprobatus; neceſſariò damnatur, licèt ſanctiſſimè vixerit; quidquid enim DEUS prædefinit, immutabile eſt, ergo in negotio prædeſtinationis & reprobationis omnis arbitrii noſtri libertas tollitur ergo. *Nequaquam ajo* modô enim explicatô infallibilitas, & immutabilitas decretorum DEI non eſt cauſa antecedens neceſſariò inferens operationem, ergo decretum non tollit libertatem, eſt enim dependens ab hominis operatione, eámque ſupponit; quia nunquam prius decernit DEus damnationem

homi-

hominis, quàm videat eum finaliter peccantem, consequenter non tollit, sed supponit libertatem; hinc decretô positô est quidem damnatio infallibilis & certa, non tamen necessaria, necessitate antecedente & inevitabili, semper enim potentia antecedente potest homo evitare damnationem bene operando; licèt non possit impotentiâ consequente. Dilemma oppositum doctrinæ Catholicæ solvo cum Dist: si est prædestinatus, NB. si est ad vitam æternam ordinatus per certa media, quæ in illius potestate sunt, certè salvabitur NB. adhibendo illa media C. & sic etiam: si non est prædestinatus, & à Deo ordinatus ad pœnam æternam propter peccata sua, certò damnabitur si illa commiserit C., altero & Calvini sensu N. Atque sic tollitur omnis desperatio; nihilque aliud sequitur, nisì quod Apostolus svadet: *Cum timore & tremore salutem vestram operamini*; suppositâ enim gratiâ, in nostra potestate est, ut prædestinemur vel reprobemur, secundùm illud Augustino adscriptum: *si non es prædestinatus, fac, ut prædestineris*; ergo decretum prædestinationis & reprobationis, nullatenus tollit libertatem.

§ I.

Impugnatio Ima Acatholici in materia Prædestinationis facta Fideli.

CAlvinista cum cæteris: Soli prædestinati sunt in Ecclesia. P. imò Tota Ecclesia dicitur *hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ viven-*

tis

tis Cant. 4. ergo quod non eſt ſignatum, & prædeſtinatum, quod non eſt aqua vivens &c. non eſt in Eccleſia; ergo. Accedit: Eccleſiam comparari Arcæ Noë, atqui in hac non erant nisì ſalvandi, conſequenter prædeſtinati à diluvio, ergo. *P. 2dò.* Chriſtus non eſt Caput, nisì Ejus Eccleſiæ, quæ ſalvabitur, ſed ſoli prædeſtinati ſalvabuntur, ergo ſoli prædeſtinati conſtituunt Eccleſiam; accedit iterum: quòd Eccleſia ſit *unum Ovile Joan: 10.* atqui oves non ſunt, nisì prædeſtinati, ergo. *P. 3.* Eccleſia eſt Corpus Chriſti myſticum, ergo debet habere membra viva tantùm vera fide & ſanctitate, conſequenter meros prædeſtinatos, requiritur enim, ut verum membrum corporis humani animetur & regatur à ſpiritu, ergo etiam ut membrum Eccleſiæ animetur à Spiritu S. & vivat fide vera & ſanctitate, quod eſt eſſe prædeſtinatum, quia qui Spiritum Chriſti non habet, non eſt Ejus, ſive non eſt prædeſtinatus ergo. *P. 4tò.* Eccleſia eſt Cœtus vocatorum, ergo ſolùm prædeſtinatorum, quia qui ſunt vocati, ſunt prædeſtinati, juxta illud *ad Rom: 8. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit;* ergo. Denique omnes vocati, ſunt vocati ad bene operandum, atqui hi ſunt tantùm prædeſtinati, ergo.

§ II.

Propugnatio Catholica Fidelis.

NOn ſoli prædeſtinati ſunt in Eccleſia. *P. 1mò.* Si ſoli prædeſtinati conſtituerent Eccleſiam, ſequetur: Turcas, Judæos & alios

quos-

quoslibet infideles, si prædestinati sunt, esse actu in Ecclesia, & membra Christi; viceversa omnes, quantumvis pios, & sanctos, si prædestinati non sunt, non esse actu in Ecclesia, & viva membra Christi; atqui hoc est contra Apostolum *ima ad Cor. 12. Omnes nos uno spiritu in unum corpus, cujus Caput est Christus, baptizati sumus*; ergo per baptismum efficimur membra Ecclesiæ, atqui tamen iterum certum est: non esse nos omnes prædestinatos, ergo. Iterum *ad Galat: 3.* dicitur: *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis*; ergo fuerunt Galatæ facti membra Christi, & tamen non est credibile, omnes Galatas fuisse prædestinatos, ergo. P. 2. Ex Script: in qua Ecclesia comparatur areæ *Matth: 3. Permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinquibili.* Itèm *Sagenæ* missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, ex quibus elegerunt *bonos in vasa, malos autem foras miserunt Matth: 13.* Itèm *Convivio* ad quod introducti sunt boni & mali Matth: 22. ergo. Taceo C. Matth: 25. de 10. Virginibus, ex quibus quinque fatuæ, ergo Huc spectat illud 2da ad Timoth: 2do. *In magna autem Domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea, & fictilia, quædam in honorem, quædam in contumeliam*, ergo. *P. 3tiò.* Certè Paulus dum persequebatur Ecclesiam, non erat de Ecclesia, & tamen fuerat prædestinatus; Judas verò aliquando erat de Ecclesia, & quidem Apostolus, qui attamen fuit reprobus, & æter-

nùm reprobatus, ergo. Denique si soli prædestinati sunt in Ecclesia, omnia erunt incerta; nemo quippe cognosceret fratres suos, neque Pastores cognoscerent oves suas, neque ab illis cognoscerentur, cùm nemo sciat, qui sint prædestinati; nemini etiam constaret, quæ sit vera fides; hæc enim omnia provenirent ex declaratione veræ Ecclesiæ; nesciretur autem, quæ sit vera Ecclesia, cùm nesciretur, qui sint prædestinati, quíque veram Ecclesiam, ùt vult hæreticus, constituant, ergo.

℟. *jam ad 1. advers. argument.* Scripturam his aliísque in locis per figuram Synecdochen attribuere toti, quod convenit parti; sic ad Philip: dicuntur omnes quærere, quæ sua sunt, & non JESU Christi; attamen vel tunc copiosi fuerant Viri Sancti, Christi cumprimis Sectatores, quibus istud certè non conveniebat, tales erant Apostoli, Timotheus, & Titus, ergo. Tandem Ecclesia dicitur *hortus conclusus*, id est undique *clausus*; est enim positus in ea murus, & antemurale, nempe Salvator, & Custodia Angelorum; unde hæreses in illam penetrare non possunt, neque portæ inferi prævalebunt, ut scilicet deficiat veritas Ecclesiæ, licèt multi deficiant à veritate & virtute; consequenter textus iste non facit quidquam contra nos; sic iterum nominatur Ecclesia fons signatus, scilicet signô Crucis & sigillô fidei, itèm puteus aquæ viventis, quia ex ea emanant salutares aquæ baptismi & Pœnitentiæ; signatus verò fons dicitur, quia juxta Augustinum

in

in Sacramentis ipsis sub tegmine rerum visibilium Divina Virtus operatur salutem, quæ omnia iterum adversarii argumentum non promovent, ergo. Tandem non est certum, textus istos loqui immediatè & directè de Ecclesia; plurimi enim SS. PP. illos de B. Virgine Maria intelligunt, ergo ex his certi nihil concluditur. Ad illud, quod Sectarius addit, repono: non esse similitudinem quoad omnia, alioqui omnes baptizati, forent prædestinati; nam 1ma. Petri. 3tiò. Baptismus comparatur cum Arca Noë, ergo. Deinde non tantum boni, sed & mali salvarentur, nam in Arca Noë animalia, tam immunda, quàm munda salvata sunt. In eo igitur comparatur Ecclesia cum Arca, quòd sicut extra Arcam nemo est salvatus, ità extra veram Ecclesiam nemo sit salvandus, ità Aug: in Epist: ad Dardan: Cypri. Lib: de Unit. Eccle. Hieron: in Epist: ad Dam.

℟. *ad* 2. Vel ly *Ejus Ecclesiæ*, significat partem Ecclesiæ, quæ salvabitur, & tunc est falsa propositio; vel significat totam Ecclesiam, ut distinqvatur ab omni Congregatione infidelium; & tunc est vera propositio, sed non facit contra nos; hinc concessa etiam minore N. C. Etsi enim multi in Ecclesia sint reprobi, adhuc tamen absolutè erit verum dicere, Christus salvabit Ecclesiam, Cujus est Caput, ergo. Ad alterum, quod Sectarius adfert, N. m. Licèt enim aliquando sumantur oves pro solis prædestinatis, quô sensu Augustinus illas sumpsit *Tract: 45. in Joan: & Joan: 10.* Christus dicat:

Oves meæ vocem meam audiunt; aliquando attamen ſumuntur pro omnibus in genere tam bonis, quàm malis, qui ſunt in Eccleſia; ùt Joan: ult: *Paſce oves meas*; & *Pſal*: 23. *Iratus eſt furor tuus ſuper oves paſcuæ tuæ*; Iterùm *Ezech*: 34. Deſcribuntur oves DEI, aliæ pinqves, aliæ macræ, aliæ ſanæ, aliæ ægrotæ; ergo. Addo: quod adverſarius negare nequit, in ovili etiam eſſe hædos; nam *Matth*: 25. ſeparabuntur oves ab hædis, ergo antè fuerunt ſimul; atqui tamen ovile dicitur Eccleſia, ergo non tantùm ab ovibus prædeſtinatis, licèt deinde denominatio fiat à meliori parte. Cæterum pro aliis adduci ſolitis ſive SS. PP. ſive ſcripturæ locis, quos in vulnera Catholicæ fidei ſenſu ſuo adhibere ſe cogitant adverſarii, pro his inquam explicandis noto: poſſe aliquem dici ovem, Filium DEI duobus modis; unô modô ſecundùm prædeſtinationem, alterô ſecundùm præſentem Juſtitiam; qui uterque modus habetur apud Paulum, prior quidem 2da *ad Timoth*: 2. *novit Dominus, qui ſunt ejus*; alter: *ad Rom*: 8. legitur: *qui Spiritum Chriſti non habet non eſt Ejus*, ergo qui habet, eſt Ejus; itaque unus idémque poteſt eſſe Chriſti membrum, & non eſſe; eſſe: ſi ſit prædeſtinatus; non eſſe, ſi interim Spiritum Chriſti non habet; quia ergo aliqui dicuntur *oves*, *Filii DEI*, qui nondum in Eccleſia ſunt, intelligitur tales eſſe ſecundùm prædeſtinationem tantùm. Itèm cum dicitur 1ma *Joan*: 2. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis*, ſic intellige: ex nobis erant ſecundùm

dùm præsentem justitiam, & participationem sanctitatis; non erant ex nobis secundùm prædestinationem; atque ex his intelligo, Augustinum dicentem: justos non prædestinatos, non esse verè Filios DEI, ergo.

R. *ad 3.* Quòd fideles & peccatores sint adhuc aliquô modô membra Christi, & habeant Spiritum Christi, nempe incompletum, & imperfectum, licèt non perfectum, & completum; insuper quòd habeant quandam vitam, nempe fidei, licèt non habeant vitam perfectam Charitatis; hinc distinqui potest textus Pauli: non sunt Christi, ità ut etiam participent à Christo influxum gratiæ conducentis ad salutem, & habeant jus actuale ad Cœlum C. non sunt Christi, & de Ecclesia Ejus, in quantum hæc est congregatio fidelium utentium Sacramentis N. Deinde paritas hæc pro nobis est: nónne enim in corpore physico partes aliæ habent vitam perfectiorem aliis, aliæ planè destituuntur vitâ, & tamen manent partes corporis, ità etiam in Corpore mystico Christi membra aliqua habent vitam *valdè perfectam*, nempe Charitatis in DEum, aliæ *minùs perfectam*, nempe Gratiæ tantùm sanctificantis, vi cujus justificantur; aliæ partes sunt, quæ solùm imperfectam vitam habent, nempe peccatores, qui fidei tantùm vitam retinent cum externa illius professione, per quam recipiunt alimenta doctrinæ Christianæ, ergo.

R. *ad 4. cum Dist:* Est Cœtus vocatorum etiam ad fidem C. tantùm ad gloriam certò

obtinendam N. A. & C. Quod apponitur, nil facit contra nos; nunquid *Matth:* 22. legitur: *Multi vocati, pauci electi?* ergo. Ad ultimum, quod dicitur Tr. M. N. m. Licèt enim omnes vocentur ad bene operandum, non tamen omnes bene operantur usque ad vitæ finem. Dixi Tr. quia multi baptizati moriuntur ante usum rationis, & salvantur, ergo.

§ III.

Impugnatio IIda Acatholici facta Fideli.

Calvinista: HOmo certus est certitudine fidei se justum esse, atque in ea justitia & gratia DEI se se perseveraturum, éstque infallibiliter certus de sua prædestinatione. P. 1. *Joan:* 5 dicitur: *Scimus, quoniam ex DEO sumus, & qui credit in Filium DEI, habet testimonium DEI;* & C. 3. *Nos scimus, quoniam translati sumus à morte ad vitam &c.* Insuper C. 4. *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & Ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo, dedit nobis;* atqui hæc omnia clarè innuunt hominem esse certum certitudine fidei de sua justitia, ergo. P. 2dò. *Ad Rom:* 8. habetur: *Ipse Spiritus, testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus Filii DEI,* adeoque, quòd simus in gratia DEI; atqui testimonium Spiritûs est infallibile, ergo infalliblliter certum est, esse, & perseveraturum hominem in justitia. Accedit Apostoli alterum dictum: *Certus sum, quia neque mors, neque vi-*

vita, &c. poterit nos separare à Charitate DEI, ergo certitudinem perseverantiæ habuit Apostolus, qui homo par aliis fuit, ergo. *P. 3tiò. 2da ad Cor: 13. v. 5. Vosmetipsos tentate, si estis in fide: Ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus JESUS in vobis est? nisi fortè reprobi estis*; ergo potest homo cognoscere, & quidem ex fide se esse in Christo, & Christus in illo, ergo habet certitudinem fidei, se justum esse. Accedit: *1ma ad Cor. 2. v. 12.* ità loquitur Apostolus: *nos autem non Spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex DEO est, ut sciamus, quæ à DEO donata sunt nobis*, ergo scimus dona DEI, inter quæ præcipuum est justitia & perseverantia, ergo. *P. 4tò.* 1ma Joann. 5. v. 13. *Hæc scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in Nomine Filii DEI*; ergo scimus, & infallibiliter certi esse possumus de nostra prædestinatione credentes in Nomine Filii DEI. Accedit textus Apostoli 1. ad Thessal 1. *Scientes Fratres, dilecti à DEO electionem vestram*, ergo scimus prædestinationem nostram, ergo. Insuper homines dicuntur ab Apostolo habere pignus hæreditatis, atqui ille, qui habet pignus, est certus de illa hæreditate, ergo. *P. 5tò.* Fideles orant pro dono perseverantiæ, ergo sunt de illo certi; quicunque enim orat pro illo dono, credere debet se illud accepturum juxta illud Jacobi 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans*; aliàs illud Matth. 11. falsum foret: *quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis*, ergo.

§ IV.

Propugnatio Catholica Fidelis.

NEmo est certus certitudine fidei, se justum esse; nec infallibiliter certus est se in justitia perseveraturum, consequenter nemo infallibilem certitudinem habet de sua prædestinatione. P. imò. ex Eccle. 9 *Nescit homo, utrum odiô, an amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta*, ergo. Insuper idipsum de fide est in Trid. definitum Seff. 6. C 9. *Sed enim* dicit Calvinus hìc Lib. 3. Instit. C. 1. § 38. textum non loqui de notitia per fidem, sed de ea, quæ habetur ex eventu externo; quasi dicat: ex beneficiis & flagellis, quæ homini quotidie eveniunt, non potest cognosci, an quis justus sit, & dilectus DEO; quia eadem æquè bonis ac malis eveniunt; concludit ergo, posse id cognosci per fidem internam. *Contra autem est*: quia textus universaliter loquitur: *Omnia in futurum servantur incerta*; quomodo autem sunt incerta omnia, si per fidem certi esse omnes possumus, an odiô, an amore digni simus? certè tam absoluta negatio certitudinis negat omnem certitudinem; ergo. Denique patet id ex 1. ad Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*; Unde PP. colligunt incertitudinem gratiæ, éstque sensus: etsi ego mihi bene conscius sim, non ideo tamen justus sum; fortè enim DEus videt in me aliquid, quod ego non video; ideo addit: *Qui autem judicat me*, *Do-*

Dominus est ; & ille ſolus eſt verus Judex, per- noſcens omnia, ergo Paulus non erat certus per fidem de ſua juſtitia, aliàs absque timore fuiſſet, ergo nec alius homo certus eſt certitu- dine fidei de ſua juſtitia.

Audi Calviniſta verba Auguſtini Serm. 23. de verb. Dom: Fortaſſe tu nihil invenis in con- ſcientia tua, invenit Ille, qui meliùs videt. P. 2dò ex Eccle. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſinè metu*, atqui metu opus non eſſet, ſi infal- libiliter certus quis eſſet de gratia DEI, ergo. Inſuper David Pſ. 18. dicit : *Delicta quis intelli- git ? ab occultis meis munda me &c.* ergo neſcie- bat David, an non malum aliquod lateret in corde ſuo, ergo neſcivit is certitudine fidei ſe eſſe juſtum, ergo. *Conf. 2dùm* ipſos advers: requiritur aliquid ex parte noſtra, per quod juſtificemur, ſive jam ſit fides, ſive dilectio, ſive aliquid aliud; atqui nemo infallibiliter cer- tus eſt (excipio ſemper ſpecialem DEI revela- tionem, quæ rarò contingit) ſe DEum ſuper omnia diligere, ſe fidem prout ad juſtificatio- nem requiritur habere, ergo. *Dixi* certitu- dine fidei neminem certum eſſe regulariter lo- quendo de ſua juſtitia; moraliter enim certi eſſe poſſumus, ſi quantum in nobis eſt, præ- ſtemus ea, quæ ad juſtificationem requiruntur; ſed hæc certitudo non eſt absque omni metu. Conſentiunt huic Theologico aſſerto PP. *Baſil. in Conſtit. Monaſt. C. 2. Ambroſ. Serm. 5. in Pſal. 118. Aug. Homil. 35. Theod. in 1mam ad Cor Greg. Lib. 6.* &c. Ex quo patet, quid in præſenti puncto,

Ecclesia primitiva senserit, ergo. *P. 3tiò.* Ex Script. Nos ad timorem, & non ad securitatem hortante. Ad Rom. 11. *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time, nè fortè & tibi non parcat.* Iterum Ps. 2. v. 11. *Servite Domino in timore*; insuper Scriptura docet, multos ad tempus credere, & in fide postea naufragari; patet Luc. 8. in Parabola de semine &c. imò 1. ad Timoth 4. manifestè dicitur: *Quia in novissimis diebus discedent quidam à fide &c.* Sed si cum timore salutem homines operari debent, & omnes, nemo certus est infallibiliter de sua perseverantia; etsi multi jam aberrârunt à fide, non erant certi ex fide de perseverantia, ergo. *P. 4tò.* Prædestinatio pendet ab exercitio bonorum operum. Sic Matth. 19. dicitur: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; Sic 2. ad Tim. 2. habetur: *Non coronabitur, nisì qui legitimè certaverit*, atqui nemo scit se opera bona requisita ad finem usque vitæ facturum, ergo nemo infallibiliter certus est de sua prædestinatione. Accedit ex illo ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ DEI! quàm incomprehensibilia sunt judicia Ejus!* &c. Argumentum: neminem scire, cur DEus hunc eligat ad gratiam efficacem, illum non eligat; ergo nemo scit, an sit prædestinatus dicta nempe infallibilitate, cùm nemo noscat, an electus sit ad gratiam finalem, ergo. Tandem vel verba Augustini istud innuunt, *de Corrept. & Grat. C. 13.* Quis ex multitudine fidelium quamdiu in hac mortalitate vivitur in numero prædestinatorum se

esse,

esse, præsumat; denique sicut dixi, certi non sumus de præseverantia in justitia; quomodo possumus certi esse de prædestinatione? hæc enim pendet à perseverantia finali in justitia, ergo.

℟. *jam ad* 1. & dico: Apostolum loqui solùm de notitia morali, nam etiam ea scire dicimur, quæ ex conjecturis probabilibus, aut moraliter certis colligimus; nam notitia, de qua loquitur Apostolus, nititur dilectione, dicit enim: quoniam diligimus Fratres; atqui hoc signum non est infallibile, ùt mox constabit, ergo. Illud autem: *Qui credit in Filium DEI*, non facit ad rem; hìc enim sermo non est de justificatione, sed de testimonio Divinitatis Christi; dixerat enim: *Hoc est testimonium DEI, quia testificatus est de Filio suo*; & mox subjungit: *Qui credit in Filium*, ergo.

℟. *ad* 2. Esse quidem infallibile Spiritûs S. testimonium, nobis tamen non constare infallibiliter, an illud testimonium, quod in nobis est, Spiritûs sancti sit, an diaboli, qui se transfigurat sæpè in Angelum lucis; hinc Joan. 1. Epist. C. 4. dicitur: *Probate Spiritus, si ex DEO sunt*; An non ex diabolo? an non à natura? an non à proprio amore? Et nónne Calvinus ipse Lib. 3. Instit. C. 2. id fatetur dicens: Experientia ostendit: reprobos interdum simili ferè sensu atque electos affici, ut nè suô quidem judiciô quidquam ab electis differant, ergo. Proinde bene monet Salomon quemlibet hominem Prov. 28. dicens: *Beatus homo*,

qui

qui semper est pavidus. Ad illud, quod iterum ex Apostolo adducitur, pariter repono, sensum esse de certitudine & notitia morali Paulum ex signis probabilibus, & moraliter certis hanc habuisse, ergo. Quanquam græca verba habeant ly confido; denique fuerit certus, etiam certitudine fidei ex speciali gratia, & revelatione DEI Paulus de sua justitia, non sequitur idem de omnibus, ergo.

℞. *ad 3.* Paulum loqui de fide non de justitia; sit ergo quis certus de fide, non ideo certus erit de justitia. Tandem licèt permittamus Paulum locutum de justitia fuisse, non dicit tamen eos certò & infallibiliter istud scire; si enim hoc affirmaret, cur addidit: *Vosmetipsos tentate, si estis in fide?* Quid enim opus est tentatione illi, qui certus est de sua justitia, ergo. Ad alterum textum dico: Paulum non loqui de beneficiis datis huic, vel illi in particulari, sed de iis, quæ DEus paravit omnibus Electis, utì est vita æterna &c. Et horum habemus notitiam per Spiritum, per Scripturam id nobis revelantem, ergo. Denique sive textus alii sive testimonia PP. alia hìc objiciantur, dico: eos, vel de peccatorum remissione in genere, vel de certitudine morali, vel de Personis, quibus id specialiter revelatum est à DEO, locutos esse, ergo.

℞. *ad 4.* Eos, qui credunt, habere vitam æternam in spe, non autem in re; Nam ad Rom. 8. dicitur: *Spe salvi facti sumus*; ut autem vitam æternam habeant in re, requiritur per-

seve-

ſeverantia in fide juxta illud ad Hæbr. 3. *Participes Chriſti effecti ſumus, ſi tamen initium ſubſtantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus*; atqui de perſeverantia infallibiliter certi non ſumus, ergo nec de prædeſtinatione. Alterum textum dico, agere de notitia morali, non fidei, ergo. Quod tertium objicitur, non eſt contra nos. N. enim m. quia requiritur, ut pignus non amittatur; jam autem quis certus eſt certitudine fidei, ſe pignus cœleſtis hæreditatis ad mortem usque conſervaturum? ergo.

R. *ad* 5. Aliud eſſe, credere DEum, nobis poſſe dare, quod petimus, aliud: credere daturum; ergo. Certè Paulus nihil hæſitans in fide ter & fortè ſæpiùs petiit liberari à ſtimulo carnis, & tamen non impetravit; neque expediebat id, quod ipſe innuit, inquiens: *Nè magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis*, ergo. Alter textus intelligitur ſub conditione: ſi nempe ità, ùt oportet, petamus, & nobis expediat, ergo.

Si dicas: atqui perſeverantia nobis expedit, ergo. Fateor, ſed non omnes eam bene petimus, imò plerumque ejus impetrationem impedimus, ſicut & aliorum donorum, peccatis noſtris, ergo.

DOGMA III. AUGUSTINI DE GRATIA.

Ut

UT innotescat, quod latebat, & svave fiat, quod non delectabat, gratiæ DEI est. Quod fit à te, ipse facit in te, nunquam fit à te, quod non Ipse facit in te; sed aliquando facit in te, quod non fit à te, nunquam autem aliquid fit à te, si non facit in te. Lib. 2. de peccat. merit. C. 17. N. 26. Tom. 10. & Serm. 56. Tom. 5. C. 5. N. 7. Aliter DEus præstat, ut velimus, aliter præstat, quod voluerimus, ut velimus enim, & suum esse voluit, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo; quod autem voluerimus, solus præstat, id est: posse bene agere, & semper beatè vivere. Lib. 1. ad Simpl. Q. 2. N. 10. Tom. 6. Magna Lex est Christiana potens illa Lex Divina ineffabilis; sed quis eam implet? si de viribus

vibus suis præsumunt, non implebunt, præsumendo de gratia DEI credant, præsumendo veniant, adjuvando veniant, non judicandi. In Ps. 40. N. 4. Tom. 4. Cùm, voluntatem humanam gratiâ adjuvante, sinè peccato in hac vita possit homo esse, cur non sit, possum facillimè & veracissimè respondere: quia homines nolunt. Ille vocat, nos respondemus, non voce, sed fide, non linguâ, sed vitâ. Si enim vocat te DEus, & præcipit, ut bene vivas, & malè vivis, vocationi ejus non respondes. L. 2. de peccat. mer. C. 17. N. 26. Serm. 2. in Ps. 101. N. 6. Tom. 4. Liberi arbitrii nos condidit DEus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas, nec corona est; - in rectè faciendo, ideo nullum

est

est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis. Lib. de Nat. & Grat. C. 65. N. 78. Tom. 10.

PARAPHRASIS DOGMATIS.

IN præsenti acutissimè Aurelius de piis illustrationibus, atque affectionibus discurrit, declarátque gratiam prævenientem tanquam interiorem svasionem in DEI quidem, non autem hominis potestate esse; indè dicit DEum aliquando facere in homine, quod non fit electivè & deliberatè ab homine; proinde ex Augustino actus hujusmodi, tum qui ad intellectum, tum qui ad voluntatem pertinent, sunt actus animæ indeliberati. Tandem præstò omnibus esse gratiam sufficientem deducit; indè & infideles gratiam nanciscuntur, quâ possunt venire ad fidem, cujus fidei meritô accepturi sunt subsequentes gratias, quibus servare poterunt Christiana præcepta. Denique nulli deesse gratiam fideli sive ad præceptum implendum, sive ad orandum pro impetranda gratia innuit. Postremò efficax illud DEI adjumentum, quod gratiam efficacem compellamus, non esse irresistibilem bene agendi necessitatem declarat; fieri quippe potest, ut sub una eadémque gratia moveatur unus, alter non moveatur, proinde ut una eadémque gratia, quæ efficax est respectu unius, sit inefficax respectu alterius; tandem clarissimè deducit Aurelius DEUM Patrem gratiâ suâ efficaci, qua attrahit ad Filium homines, simul dimittere, ut quis, quod voluerit, eligat; & ità libertas constituta per gratiam efficacem in rectè faciendo excludit omne vinculum necessitatis; hinc *v. g.* per gratiam ad credendum efficacem potestas credendi datur, non autem necessitas ad credendum imponitur. Et universim Lib. 83. Quæst. Qu. 2.

Tom. 6: definit: meliorem hominem esse, qui voluntate, quàm qui necessitate bonus est; consequenter nec gratia efficax libertatem tollit, nec voluntati irresistibilem bene agendi necessitatem imponit. Sit proinde cum Augustino docente

CAPUT I.

Fidelium mores informati in materia gratiæ.

Dico 1. GRatia prout per hanc homo ad finem supernaturalem à DEO ordinatur, generalissima acceptione, est donum naturæ indebitum, peculiariter conferens, ad beatitudinem æternam. Hæc est communis Theologorum doctrina; desumitur autem notio gratiæ ex Apostolo ad Rom. 11. *Si gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia, jam non est gratia.* Conf. id ratione: Quia sicut ipsa beatitudo, sive clara DEI visio, est donum naturæ indebitum, ità necessarium sit, ut gratia, quæ ad eam obtinendam naturæ impotentiam sublevat, sit singulare donum, quod naturæ vires excedit.

Dico 2. Famosiori divisione subdividitur gratia in *habitualem*, & *actualem*; illa est qualitas stabiliter in homine permanens, juxta illud Magni Augustini in Job. C. 37. ante finem. Tom. 4. Spiritus justificationis non transit, sed manet, eúmque, in quo permanet, formaliter sanctum, justum & amicum DEO in præsenti providentia efficit; quippe, ùt habet Aurelius de

de Grat. & lib. arbit. C. 20. Tom. 7. per gratiam humana voluntas non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam, ergo. Hæc autem, sive *actualis*, est: *Auxilium internum supernaturale transeunter impressum* intellectui, & voluntati hominis, ut sit principium boni operis, quô acquiritur justitia. Dicitur *auxilium*, quia ordinatur ad potentiam juvandam, quæ de se insufficiens est, ad eliciendum actum, beatitudini supernaturali proportionatum. Hinc ait Aurelius de gratia Christi C. 23. Magnum adjutorium divinæ potentiæ, ut cor nostrum, quo voluerit, DEus inclinet. Dicitur item *internum*, nisì enim DEus interiore gratiâ mentem regat, nîl prodest homini omnis prædicatio veritatis inquit iterum August. de Civit. DEI Lib. 13. C. 6. Est denique *supernaturale*, cùm super omnem subjecti exigentiam producatur à DEO, ùt Authore gratiæ.

Dico 3. Gratia actualis ab habituali differt *imò subjectô*. Nam gratia habitualis, est in ipsa substantia animæ, quam sanctificat; actualis autem est in intellectu & voluntate, ex supposito, quòd potentiæ hæ distinquantur ab anima. *2dò*. Differt causalitate: quia gratia habitualis est formale principium, se ipso causans justitiam; actualis autem est principium, boni operis effectivum. *3tiò*. Differunt duratione (: habitualis enim informat animam habitualiter, & durat, quamdiu non expellitur per peccatum; actualis autem est transiens, cùm consistat in motibus geminis, nempe: illumi-

natione

natione intellectûs, & inspiratione voluntatis. 4tò. Differunt principiis : nam habitualis non producitur physicè, nisì à solo DEO, moraliter autem ab opere bono ; actualis verò, quamvìs sæpissimè detur gratìs, nunquam tamen à solo DEO producitur iḿediatè ; oportet enim, ut vitales potentiæ, quales sunt intellectus, & voluntas, illam, non quidem liberè, sed tamen vitaliter efficiant.

Dico 4tò. Gratia habitualis à Conciliis & SS. PP. passim appellatur, *Gratia justificationis, gratia virtutum, & donorum, semen vitæ æternæ;* illius effectus sunt : facere participem naturæ divinæ, Filium DEI adoptivum, justum, sanctum, amicum DEI, hæredem vitæ ac beatitudinis æternæ. Gratia actualis, pariter variis compellatur nominibus ; dicitur *excitans*, quia fungitur munere talis, qui alterum à somno excitat ; dicitur *præveniens* : quia omnem actum liberum prævenit ; nolentem enim prævenit, ut velit, volentem subsequitur, nè frustrà velit. Ut inquit Magnus August. in Enchy. Vocatur deinde gratia illa, *Gratia vocationis*, seu *inspirationis* juxta illud Aurelii Medit. Cap. 41. Tom. 9. Expectas tu bone Domine correctionem, expectat anima mea ad pœnitendum tuæ gratiæ inspirationem. Hujus gratiæ actualis 5. præsertim effectus variis ex locis Augustini dogmatici eruuntur ; *Sanare* videlicet *animam, bonum velle, bonum operari, in bono perseverare, ad gloriam pervenire* ; unde gratiæ hujus opera sunt omnes virtutes, ad finem supernaturalem

consequendum adjuvantes, omnes actus boni, omnia merita, omnes coronæ.

§ I.

Quid sentiendum de piis inspirationibus? Quid de cooperatione gratiæ Fideli?

Difficultatum Theoretica Series.

1mò. NOricus inveteratus peccator aperit fidenter Confessario suo, se omnino paratum esse, ac promptum ad pœnitentiam agendam; existimat autem, ità se implevisse numerum peccatorum, ut meritò ulteriorem gratiæ divinæ collationem sibi appromittere non ausit. *Quær.* Quomodo explicare debeat Confessarius pœnitenti, quid hoc sit: implere numerum peccatorum? & an non obstante tali multitudine peccatorum possit adhuc à DEO sperari gratia? *2dò.* *Ocamus* Bellidux, cùm hostium minas & insidias nulla arte bellica posset eludere, ex speciali instinctu divino, pulveres nitratos igne sufflammat, atque cum suæ & comilitonum vitæ periculo immotus persistit, nè ipsi cum castris, & opulenta præda in manus hostium deveniant. *Quær.* An DEus per gratiam internè moventem, possit aliquem stimulare ad sui occisionem? & utrum *Ocami* factum approbationem mereatur? *3tiò.* *Piczovenus* gratiæ vocantis instinctu incitatur à DEO ad celeberrimam Religionem Canonicorum Regularium Lateranensium; differt autem executionem

tionem operis ; imò uxorem ducit ; consummatô tamen matrimoniô admonetur frequentiùs internè, ut suæ futuræ saluti prospiciat. *Quær.* An peccaverit *Piczovenus* non cooperando gratiæ ? & num licitus sit in religionem ingressus, postquam matrimonium à contrahentibus consummatum est? *4tò* *Quidonius* instanter orat ad Aram S. Joannis Nepomuceni, postulátque hujus interventu inspirationem divinam, quem nimirum statum amplecti debeat? Sub Missæ Sacrificio stimulatur interno motu, ut votum emittat ingrediendi Religionem; quod & præstat; sed postea ordinem quempiam mendicantium ingredi volens, repulsam patitur. *Quær.* Cum quibus ante voti emissionem de Religione ingredienda facienda sit consultatio? & an instinctui sufficienter cooperetur aliquis, si absolutè Religionem vovens repulsam patiatur in una Religione, neque in alia admissionem petat? *5tò.* *Rancattus* filiam habet viduam, sed vitæ perditæ fœminam, quam ut ad frugem meliorem perducat, ex speciali DEI instinctu in Monasterium retrudit; *Quær.* An cooperari potuerit huic instinctui *Rancattus*? & quibus in casibus. Parentibus licitum sit proles fœmellas ad Sanctimonialium asceteria promovere? *6tò.* *Stychus* constitutus in gravissimo periculo incontinentiæ, quod jam aliàs sæpissimè incurrit, existimat se à DEI gratia permoveri, ut votum emittat de ineundo matrimonio, & quidem cum *Pelagia* paupere puella. *Quær.* An rectè cooperetur instinctui *Stychus* votum emitte

 re

tendo? & utrum omni inſtinctui morem gerere oporteat?

§ II.

Difficultatum practicæ Solutiones.

℟. ad 1. TEmeraria eſt *Norici* exiſtimatio putantis ſe impotentem eſſe ad pœnitendum, ob impletum numerum peccatorum; ratio eſt: quia citra revelationem ſpecialem id nemini conſtare poteſt; exponat igitur Confeſſarius pœnitenti: quòd etiam peccatorum numerum implentes ſcelerati continuò DEI gratiam ſe ſe ad pœnitentiam invitantem habeant; unde ſi eidem cooperari renuant, perditio ex illis erit, juxta illud: perditio tua ex te Iſraël; ac proinde nulla obſtat ſcelerum multitudo, quæ hominem DEI gratiâ expertem faciat; nam implere numerum peccatorum nîl aliud eſt: quàm ob multos habitus vitioſos, ex peccatis frequentatis contractos, ſibi difficilem, non autem impoſſibilem reddere pœnitentiam; DEus enim nulli adulto, etiam obdurato, aut excœcato, ſtatuit denegare gratiam ſufficientem ad converſionem, & ſalutem; ſed paratus eſt eam omnibus dare, ſi vel ipſi vel alii ponerent eas circumſtantias, in quibus ſolet DEus gratiam præbere; ità D. Tho: Alens: Scot: Vega & alii. Ratio eſt: quia DEus in Scripturis paſſim & ſinè exceptione invitat omnes peccatores ad pœnitentiam, ùt *Ezech: 18. Nolo mortem peccatoris, ſed ut magìs convertatur*

&

& vivat. Et 2da *Petri C. 3. Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam converti*; imò de ipsis etiam in scelere obduratis id indicat Apostolus ad Rom: 2. asserens: divitias bonitatis DEI concedi iis, qui 2dùm duritiem & impœnitens cor, thesaurizant sibi *iram in die iræ*, ergo. Hinc *Concil: Senon: in Decreto fidei C. 15. DEus inquit semper in promptu est, & nec momentum præterit, in quo non est ad ostium, & pulsat.*

R ad 2. *Ocami* Bellíducis factum omnem meretur approbationem, modò certæ conditiones, ab eo fuerint observatæ. 1mò nè id fecerit ex intentione se, suósque directè occidendi; sed nè hostis iniquus prædâ ditetur; & si fieri possit, propria vita servetur. 2dò. ut nulla fuerit spes, divitias castrorum, ipsámque vitam aliter conservandi, nec in eo statu extiterit, ut de animæ salute desperetur; hanc sententiam docet *Less. de justit: & Jure Lib: 2. C. 9. Dub: 6. Dian: Pa. 5. Tr. 4. Res: 26.* & alii contra plures, qui existimant, hanc esse directam sui occisionem, quæ nunquam licita est. At contrarium prob: Quia sinè directa sui occisione, licitum est adhibere ignem pulveri tormentario ad evertendam arcem, aut mœnia hostilia, etsi quis videat se arcis ruinâ, aut aliô modô interimendum, ùt admittit *Cajet: & Sylvest: V. Bellum.* Itèm in naufragio, qui arripuit tabulam, quâ possit vitam suam servare, licitè eam concedit viro Principi, aut etiam insigni amico, esto, videat se fluctibus absor-

bendum, ùt docet *Victoria apud Dian: Par. 5. Tr: 4. Res: 24.* Insuper laudat S. Ambr. Lib. 1. de Off. C. 40. factum Eleazari Lib: 1. Machab: C. 9. qui, ut turrim ligneam hostibus refertam, & elephanti impositam everteret, elephanti se supposuit, eúmque gladio confodit, cujus lapsu ipse obruendus erat, ergo. Nec leve pondus huic sententiæ adjicit mandatum Philippi IVti Hispaniarum Regis pientissimi, quô præcepit Ducibus navium Indicarum, ut si nequeant aliter hostes evadere, naves perforent, ut submergantur, nè præda tam opulenta in hostium potestatem deveniat, quibus suas vires contra Regem multùm roborarent; hoc verò Rex justissimus haud dubiè nunquam præcepisset, nisì ea de re Viros doctos ac sapientes consuluisset. Unde patet, licèt hæc sententia ob periculum abusûs svadenda non sit, non esse tamen omnino damnandos, si qui, NB. cum conditionibus initiô appositis eam sequi voluerint. Ex quo porrò conficitur: *Ocamum* ad facti hujus executionem à DEO instinctum & gratiæ inspirationem habere potuisse, eíque laudabiliter cooperatum fuisse; imò: etiam ad directam sui occisionem internè hortari potest DEus; ratio est: quia supremum in res omnes creatas dominium habet, qui cùm Author sit vitæ & necis, occisionem sui cuivis hominum præcipere & mandare potest.

R. ad 3. Licèt *Piczovenus* multis gratiæ divinæ operationibus se indignum reddiderit,

non

non cooperando inſpirationi, ad Religionem ſe ſe invitanti, peccatô tamen nullô animam obſtrinxit. Ratio eſt: quia DEI ad ſtatum Religioſum invitatio, Chriſti Domini eſt conſilium; atqui non conformare ſe conſilio etiam Legislatoris ſupremi non eſt peccatum, ergo. *Ratio eſt 2dò.* quia deſerere Religionem, in qua aliquis, ùt Novitius probatur, per ſe loquendo non eſt ſaltèm peccatum mortale, nam quilibet jus habet experiri & probare Religionem, quæ ſi ad guſtum non eſt, maturè videlicet ante vota Religioſa, aut Profeſſionem ſolemnem ab ea recedere poterit; ergo etiam licitè poteſt quis non cooperari gratiæ, ſe ad Religionem incitanti; & itá præ hac eligere ſtatum matrimonialem. In matrimonio autem conſtitutus ultrà eligere non valebit; unde ſi poſt conſummationem matrimonii religionem ingredi vellet, validè & licitè id ante divortium legitimè celebratum neutiquam præſtare poſſet; vel ſaltèm oporteret tunc, habere conſenſum ac licentiam Conjugis, ſervatis inſuper Juris circumſtantiis, quales ſunt: ingreſſus alterius Conjugis in monaſterium, ſi juvenis ſit, vel periculum incontinentiæ habeat; ſi verò ſecura ſui absque incontinentiæ periculo ſit, ut ab ea emittatur votum caſtitatis. itá *Caſtro-Palao Par. 3. Tr: 16. Diſput: 1. Pun: 8. § I. N. 21.* Et quoad Societatem JESU ſpecialiter id ipſum tradit *Suarez To. 4. de Relig: Tr: 10. Lib: 2. C. 1. N. 22.*

R. ad 4. Consultatio de emittendo voto ingrediendæ Religionis, optimè iniri potest cum Confessario, aut alio Viro sensato, quem tamen potissimùm nulli certo statui Religioso addictum esse oportet; ità Major in 4. Dist: 38. Priusquam autem conformiter instinctui divino votum emittatur de Religione ingrediendà, ad duo cumprimis reflectendum est; an nempe in Religione, quam quis vovere intendit piè & sanctè vivatur, quod quidem semper præsumendum est; & tandem an votum emissurus, fidat sibi ferre onera Religionis, quam ex nunc vovere intendit. Quod si habita inspiratione divina absolutè quis vovit ingredi Religionem aliquam, nullam in particulari exprimendo, tenebitur repulsam passus in una, rursus in alia sui admissionem expetere; Ratio est: quia votum ingrediendæ Religionis absolutè & irrestrictè emissum, est votum de omnibus Religionibus sub disjunctione, quod votum per se obligat Religiones distributivè omnes tentare, ut si fortè aliqua sit, in qua votum executioni mandari possit; si tamen NB. in pluribus Religionibus jam repulsam passus fuisset aliquis, ità: ut prudentum judiciô & ab aliis repellendus putaretur, à petitione ad cæteras omnino abstinere posset: Sic Suarez To. 3. Lib: 4. C. 2. N 16. Azor. Sanch: & alii. Non tamen tenetur quis ex vi hujus voti Religiones strictissimas ingredi, quales *v. g.* censentur Camaldulensis, Carthusiana & aliæ;

ta-

tametsi sciat in illis se recipiendum; non censetur etiam aliquis vovere Religionem, nisì aliquam ex Religionibus, quæ communi hominum naturæ accommodatæ sunt, non autem quæ indigent speciali Spiritûs S. instinctu, & auxiliis. Sic expressè *Sanchez Lib*: 4. *C*. 1. *N*. 49. *Laym*: *lib*. 4. *C*. 6 *Tr*: 1.; Neque ingredi tenetur Religiones extra propriam provinciam sitas, imò fæmina neque obligatur Religionem ingredi multùm distantem à loco, in quo sunt Parentes illius; similiter etiam non est obligatio ingrediendi Religiones militares; imò per horum ingressum voto non satisfieret, nisì NB. habitus assumeretur Ordinum militarium in gradu Clericorum; quia hic gradus veros Religiosos separatos à sæculi pompa, & tumultu, divitiarúmque solicitudine, atque sæcularium convictu constituit, non minùs ac Ordo celeberrimus Canonicorum Regularium, aliíque Sancti Ordines. Ità Corduba summæ Quæst: 148. Bonacinna Disput: 4. Q. 2. Pun: 5. § 6. N. 16. Religionem tamen aliquam in particulari vovere, & in ea semel absolutè repulsam accipere, est candidatum à voti obligatione liberum & immunem præstare. *ità probabiliùs affirmat Castro Palao P*. 3. *Tr*: 16. *Disp*: 1. *P*. 3. *N*. 6. & 10.

R. *ad* 5. Germanè ac sincerè Parentis officio functus est *Rancattus*, si eo fine in monasterium filiam viduam intrusit, ut illa aliquo tempore ibidem vitæ malè actæ emendationem procurare satagat. Ratio est; quia vitia fœ-

mi-

minarum non emendantur aptiùs, quàm si hæ à virorum contubernio separentur, & piis, sacrísque aliarum sui sexûs personarum ad vitæ emendationem exemplis stimulentur; aliunde enim ejusmodi hominum genus, inspectis similium actis factísve facillimè ad æmulationem provocatur. Ad habitûs tamen Religiosi susceptionem, aut Professionis in Religione emissionem, extra casus à jure permissos, filiam suam cogere, non poterat Parens citra peccatum mortale, & pœnam excommunicationis latæ sententiæ, ùt tradit Pelíz: To: 2 Tract: 7. C. 2. N. 226. Ex Conc. Trid: Sess. 25. De Regul: C. 18. cui subjiciuntur omnes, fœminas ad id cogentes, vel cogentibus consilium, auxilium, aut favorem præstantes; quique scientes fœminam non sponte ingredi in monasterium, aut habitum suscipere, vel Professionem emittere quoquô modô eidem actui, vel præsentiam vel consensum, vel authoritatem interponunt, cujuscunque qualitatis, & conditionis fuerint, tam Clerici, quàm Laici, Sæculares, vel Regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes; exceptis Regibus, & Imperatoribus, qui pœnis illis non subjacent, nisì manifestè dictæ Personæ exprimantur; casus attamen, in quibus fœminæ cogi possunt, ad ingressum, habitûs Religiosi susceptionem aut Professionem, duo tantùm expressi sunt in jure, unus est: si puella votum emisit Religionis C Consultum de Regular:; quo casu ad voti executionem cogi potest, nisì obtineat re-

relaxationem. Alter eſt: quando Conjuges mutuo conſenſu ingreſſi ſunt Religionem, & poſt Profeſſionem unus vel alter retrocedere vult, quia in iis caſibus non cogitur quis ad Religionem tanquam ad rem involuntariam, ſed tanquam ad rem, ex voluntate propria aliunde debitam. *Caſtro Palao Pa: 3. Tr: 16. Pu: 9. N. 3. & 9.*

℟. *ad 6.* Non decipitur *Stychus*, dum in caſu propoſito inſtinctui cooperatur, votúmque emittit de ineundo matrimonio cum Pelagia paupere puella, ſi judicio Viri prudentis illi ſit ad ſalutem aut neceſſarium, ùt omnes fatentur, aut utiliùs, ùt tradit Suarez de Voto Lib. 2 C. 9. Perez Dub: 3. Sect: 2. ratio eſt: quia votum eſt de meliori bono, ergo. ſecus reſolvendum foret, ſi tantùm æquè utile eſſet ad ſalutem; quia tunc non tenebitur ducere Pelagiam, nisì ſibi illam ideo elegiſſet ſponſam, quia cum hac commodiorem acturus eſt vitam Chriſtianam, aut quia, ùt caſus exprimit, pauper eſt, neque Maritum reperire poteſt, & tamen ſtatum matrimonialem unicè exoptat. Si enim ex hoc motivo eam aliis anteponit non pauperibus, erit profecto votum de meliori bono ità Perez. Dub: 3. Sect: 3. Cavendum tamen eſt, nè omni inſtinctui morem geramus, ſed conſultis viris illuminatis eò connitamur, ut illud ſequamur, quod nec ab uſu Eccleſiæ, nec à Majorum ſenſu verè Chriſtiano abludit.

§ III.

§ III.

An Solicitudo necessaria, in procuranda, & augmentanda gratia? & quæ? & quando præstanda à Fideli?

Difficultatum Theoretica Series.

1mò. T*Auroldus* miles emeritus, sed christianis meritis & gratiâ sanctificante per annos bene multos penitùs destitutus annô jubilæi, sive gratiarum, gratiam non modò amissam sibi procurare, verùm etiam sibi eandem pluribus vicibus lucrari satagit, utrâque hebdomadâ illa opera exercendo, quæ pro jubilæo lucrando à fidelibus requiruntur. *Quær:* an solicitudo necessaria sit in procuranda, & augmentanda gratia? & utrum fidelis, jubilæi gratiam bis consequi valeat? *2dò. Umbilinus* liberioris vitæ adolescens, suæque salutis, æquô plùs incurius primâ & etiam secundâ jubilæi hebdomadâ, opera præscripta implere negligit; sed tandem ipso ultimo die gratiæ interioris hortatu persvasus, accedit ad Confessionem & Communionem pro lucrando jubilæo. *Quær:* quæ solicitudo necessaria sit, ut quis vel procuret, vel sibi augere gratiam studeat tempore jubilæi? itèm quando ejusmodi solicitudo exercenda sit à fideli? *3tiò. Waimontius* durante jubilæo omnia quidem à Sede Apostolica fidelibus præscripta opera exactè peragit, gratiam tamen per peccatum amissam ne-

neque procurare neque augere contendit; *Quær:* an quis licentias & facultates jubilæi conse- qui possit, constitutus in peccato mortali? & quarum facultatum quis annô sanctô se se reddere possit participem? *4tò. Xermontus* coram Confessario suo vehementer anxius, quòd jubilæi gratiam adeò parvi fecerit, ut nihil prorsus curæ, ac solicitudinis impenderet, quò ejusdem compos fieri mereretur; fatetur enim se statum gratiæ recipere non studuisse, quamvis in aliis non defecerit. *Quær.* an status gratiæ, qui intrà tempus jubilæi per peccatum impeditus fuit, obice remoto, iterum recuperetur, & quidsi aliquis in patria sua, ex defectu notitiæ jubilæi publicati, gratiam aut gratiæ augmentum obtinere non adlaborâsset? *5tò. Ychnevmon* tempore jubilæi Romani animabus fidelium defunctorum prodesse, ex animo solicitus est, opera tamen injuncta pro lucrandis Indulgentiis plerumque in statu disgratiæ persolvit. *Quær:* Quando potissimùm solicitum esse oporteat de gratiæ statu recuperato, ut hujusmodi indulgentiæ cum præsenti effectu animabus prosint? & quomodo ipsæ animæ harum indulgentiarum in purgatorio capaces sint? *6tò. Zorandus* Sacerdos, pia voluntatis motione ardentiùs stimulatur, ut festô S. Barbaræ, morientium Patronæ in Ecclesia, in qua eadem die sunt indulgentiæ, defunctis applicabiles; durante jubilæo Romano, celebret Missam de Requiem, pro Catechumeno quopiam, quem legit in statu gratiæ, sed sinè cha-

charactere Baptismali obiisse. *Quær*: an licitè acturus sit Sacerdos, celebrando pro Catechumeno Missam? & utrum in festo duplici, quô habentur indulgentiæ pro defunctis possit celebrari Missa de Requiem?

§ IV.

Difficultatum practicæ Solutiones.

℟. *ad* 1. QUia nemo aut gloriam Cœlestem, secundùm se aut gloriæ illius perfectionem, secundùm intensionem obtinere viribus naturalibus valet, necessarium omnino est, ut quilibet homo viator omnem curam ac solicitudinem impendat in consequenda & augmentanda gratia; ac proinde *Tauroldus* miles, salutariter operatus est, quòd jubilæi gratiam consequi, & augere studuerit, utrâque hebdomadâ exercendo opera, quæ pro jubilæo lucrando à fidelibus desiderantur; ex quo patet: quòd fideles omnes jubilæi gratiam, durante gratiarum anno bis consequi valeant, ùt docet Lezana, Reginaldus, Diana, & Gobat de jubilæo C. 15. contra alios complures; ratio brevis est: quia odia restringi, favores autem convenit ampliari, ergo.

℟ *ad* 2. Etiam ultimo die Confessionem peragens, & Epulum Evcharisticum suscipiens *Umbilinus* jubilæi gratiam sibi promeritus est; modò Confessarius omnia opera, quorum jam tempus effluxit *v. g.* jejunia &c. ei commutârit in alias pias actiones; ità probabiliter do-

cet *Fillin. Tr: 8. N. 268. Dian: Pa: 1. Tr: 12. Resol: 26.* Ratio est: quia talis habet veram impotentiam intra illud tempus opera præscripta peragendi; atqui in casu impotentiæ, licet Confessario opera præscripta in alias pias actiones commutare, ergo. Hinc etiam probabiliter resolvitur pro eo, qui omnibus peractis ultima Dominica jubilæi, non potest communicare, quia manè inadvertenter solvit jejunium naturale, posse per Confessarium, Communionem in aliud opus commutari. Magna certè opus est solicitudine in procuranda & augmentanda gratia, nè tam pretiosum thesaurum, præcipuè tempore jubilæi, è manibus elabi sinamus; frequentiùs autem, aliàs etiam DEI auxilium implorandum est; nempe: quotiescunque gravi tentatione exagitamur; quando actum aliquem, cumprimis virtutis heroicæ exercere intendimus; & dum morbo graviore pressi cum morte & tota æternitate colluctamur. Ut verò jubilæi gratiam consequamur, cura & solicitudo hæc adhibenda est: visitandæ sunt Ecclesiæ in Brevi Apostolico præscriptæ, vel ex Papæ permissione, ab Ordinario determinandæ. *2dò.* Observandum jejunium, quod certis diebus intra eandem septimanam præscribitur; sic: ut probabiliùs sit, non sufficere 1mâ septimanâ semel & 2dâ bis jejunare; imò nec intrà eandem septimanam *v. g.* pro die Mercurii, jejunare die Jovis, sinè necessitate & auctoritate Confessarii; nam Bullæ expressis verbis requirunt Feriam 4tam, 6tam, &

 Sab-

Sabbatum. 3tiò. Inter pauperes distribuenda venit eleemosyna; neque tamen, si quis istud præstare nequit, ejus locò aliud tenebitur peragere; & cùm Bullæ recentiores dicant eleemosynam pro arbitrio faciendam, patet modicum quid reposci. Hìc noto: qui exercet gratìs aliquod opus misericordiæ corporalis, ùt est: visitare & solari ægros aut captivos, videtur satisfacere conditioni eleemosynæ erogandæ; nam illa opera esse propriè eleemosynam, docet S. Tho: 2da 2dæ Q. 32. a. 3. Videtur etiam perinde esse, quocunque tempore eleemosyna detur intra duas septimanas; & quamvìs in Bulla jubilæi, eleemosyna plerumque ponatur ultimô locô, ordo ille tamen curandus non est, ùt docet hìc Gobat C. 3. in fine. *4tò.* Denique suscipienda est Evcharistia Sacramentali Confessione præmissa; atque hæc per se loquendo fieri potest cuivis ab Ordinario loci approbato, & nullâ censurâ Ecclesiasticâ notato Sacerdoti.

R. ad 3. Cum Reginaldo in praxi fori Pœniten: Lib: 7. in append: de Indulgen: Q. 4. N. 182. Non obstante statu disgratiæ, potest quis tempore jubilæi licentias & facultates omnes plenè impetrare. Ratio est: quia dictæ licentiæ ac facultates etiam extra annum jubilæi in statu disgratiæ obtineri possunt. Sic etiam teste eodem Reginaldo valet Sacramentalis absolutio à peccatis reservatis in jubilæo, quando quis opera injuncta explere proposuit, sed postea eadem implere neglexit. Favores

au-

autem, licentiæ, & facultates, quæ annô sæculari à Sede Apostolica communiter fidelibus conceduntur sunt sequentes: imò ut possit quis absolvi à quibuscunque censuris sed pro foro interno tantùm; & hæc absolutio, probabiliter potest etiam conferri, post elapsum tempus jubilæi, quando intra jubilæum alia opera perficiuntur, sed ex oblivione, vel justa causa eo tempore, non petitur absolutio à censuris; vel quando ipsa absolutio ex justa causa debuit differri. Ità Filliu: Card: de Lugo, de Pœnitentia Disput: 20. N. 99. 2dò. Datur facultas recipiendi absolutionem à casibus reservatis etiam in Bulla Cœnæ; nec excipitur hæresis, nisì NB. id exprimatur. 3tiò. Possunt alicui commutari vota, in alia pia opera, exceptis nonnullis votis in Bulla jubilæi promulganda reservatis; non potest tamen dispensatio dari in votis, utì neque commutatio in illis, NB. ubi aliquod præjudicium causaretur proximo. ità Suarez hìc & alii.

℟. *ad* 4. Quia pœnitens *Xermontus* intra tempus jubilæi gratiam, aut gratiæ augmentum procurare non studuit, terminato jubilæi ejusdem tempore, illam consequi frustra molitur; ità plurimorum sententia. Ratio est: quia Pontifices indulgentiarum ac jubilæi gratiam, ùt ex formulis, literis, stylóque Bullarum apprimè constat, nulli collatam volunt, præterquam eo tempore contritis, vel confessis, aut jam præviè in statu gratiæ constitutis, ergo. Qui tamen omisit lucrari jubilæum, in

ſuâ Diœceſi, aut Patria durante tempore in ea conſtituto, poteſt illud lucrari aliô locô, in quo tempus præſcriptum nondum effluxit; imò probabiliter in ſua Patria, ſi NB. antè ignoravit jubilæum ibi publicatum fuiſſe. Ità tradit cum aliis Diana P. 3. Tr: 4. Reſol: 157.

R. *ad 5.* Quamvìs ſummopere conſultum ſit, ut opus præſcriptum, ſaltèm ultimum fiat in ſtatu gratiæ, dum quis animabus defunctorum indulgentias applicare conſtituit; probabilis tamen eſt ſententia P. Suarez Diſp: 53. Sect: 1. N. 6. D. Tho: Gabri. Richar: & aliorum, in applicante ſtatum gratiæ non requiri, quando is in beneficium defunctorum, Indulgentias applicando opera injuncta exequitur. Ratio eſt: quia indulgentiæ ut alicui proſint, requirunt ſtatum gratiæ, & amicitiæ in eo, qui propriè eſt & dicitur ſubjectum indulgentiarum, atqui non ipſe applicans, ſed animæ in piacularibus flammis exiſtentes, ſunt, & propriè dicuntur ſubjectum illarum indulgentiarum, quæ in beneficium defunctorum aut vivorum applicantur & hæ omnes ſunt in ſtatu gratiæ, & conſortes amicitiæ DEI, ergo. Applicantur verò dictæ Indulgentiæ animabus fidelium *permodum ſuffragii*; quæ eſt communis Theologo: cum D. Tho: in 4tum Diſt: 45. Q 2. a. 3. & Suarez Diſp: 3. Sect: 1. Ratio autem eſt: quia ex Theſauro infinito meritorum Chriſti haberi poteſt fructus ſatisfactorius pro pœnis temporalibus; atqui animæ fidelium defunctorum luunt pœnas temporales in purgatorio,

quas

quas in vivis abolere aut neglexerunt, aut morte præventæ abolere non potuerunt, ergo.

R. *ad 6.* Et indulgentiæ & Missæ sacrificium applicari poterat Catechumeno, modò is in gratia decesserit. Ratio est: quia Catechumeni in gratia decedentes sunt verè amici DEI & cohæredes baptizatorum, feliciter in Domino defunctorum; ergo non minùs his, quàm aliis piè in pace requiescentibus atque charactere baptismali insignitis, possunt bona spiritualia, eosdem ad DEI visionem intuitivam promoventia applicari; atqui hæc inter bona nîl efficaciùs esse potest, quàm si eis applicentur indulgentiæ & Missæ sacrificia permodum suffragii ergo. Non rectè tamen egit *Zerandus*, celebrando Missam de Requiem pro Catechumeno, in festo duplici S. V. & M. Barbaræ. Ità sentit Gavant: in Thes: Sacr. Rit: Tom: 1. P. 1. tit: 5. N. 2. ubi sic loquitur: *Sacra tamen Congregatio Rituum tolerari posse censuit, Missas de Requiem in duplici festo, quod non est de præcepto, ut testatorum voluntates adimpleantur; ima Septemb: 1607. & 20. Jun: 1626. Non ait ad arbitrium vivorum, quod bene nota, sed pro implenda lege defunctorum*, ergo.

CAPUT II.

Fidei veræ mos confirmatus in propugnanda materia gratiæ à Fideli.

Assero 1, VOluntas præsente gratia non habet se merè passivè. Et hoc asserere

 est

est gratiam propugnare. *P.* 1. Ex 1 ad Cor. 15. *Gratia ejus in me vacua non fuit* (inquit Paulus) *sed abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia DEI mecum*, ergo. Id ipsum explicat Aug. *Nec gratia DEI sola, nec ipse solus, sed gratia DEI cum ipso.* Sed si gratia DEI cum voluntate Pauli laboravit, si voluntas Paulina cum gratia divina abundantiùs egit, habuit se verè etiam activè, & non merè passivè, ergo. *P.* 2. In Scriptura DEus solet vocari Adjutor noster; sic Ps. 26. dicitur: *Adjutor meus es.* Sed si nos DEus adjuvat in actionibus, etiam nos aliquid agimus, ergo non merè passivè nos habemus. Audiatur August. Serm. 13. de verbis Apost: *Nomen Adjutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis;* & Serm. 13 de verbis Domini: *Nemo adjuvatur, si nihil ab illo agatur*, ergo. Qui textus Theologorum sententiæ congruunt, dicentium: Gratiæ divinæ actualis duplex fore Officium; unum est prævenire, excitare, & comparare voluntatem ad consensum; alterum, voluntatem jam præparatam adjuvare, & cum ea coöperari ad consensum. Quod totum confirmat Aurelius in Enchyr. C. 31. dicens: *Hominis voluntatem DEus præparat, & adjuvat præparatam.* Et nónne si omnia solus in nobis faceret DEus, frustra nos hortaretur illo Zachar. 1. *Convertimini ad me*, ergo.

Sed contra imò cum Calvino: Totum, quod fit, à sola gratia fit, ergo. *P. ima* ad Cor. 11. dicitur: *DEus operatur omnia in omnibus*, ergo. 2da ad Cor 3. habetur: *Non sumus sufficientes*,

cogita-

cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est. Iterum ad Philipp. 1. scribitur: *DEus operatur in nobis velle & perficere*, ergo. *Ità verò*: Dicit hoc fateor, Paulus, sed contra nos nîl dicit; in isto enim textu, non agitur de gratia præveniente, sed de gratiis, quas vocant gratìs datas, quales sunt donum linguarum, Prophetiæ, miraculorum &c. atque hæc omnia, ait Paulus, à DEO esse, quod nemo negat, ergo. 2dus & 3tius Textus iterum Catholicam veritatem non infirmat; ex his enim nîl aliud colligitur, quàm nos sinè auxilio gratiæ divinæ nihil eorum, quæ ad salutem pertinent, posse sive inchoare, sive perficere, prout oportet; ità: ut nostrum velle & perficere, non tantùm sit à nobis, sed à DEO, qui nobiscum & initium & progressum operatur. Quod sentit Aug. Lib. de Prædest. Sanct. C. 2. & Lib. de Gratia ac lib. arbit. C. 9. sic loquens: *Ut velimus sinè nobis operatur, cùm autem volumus, ut faciamus nobiscum operatur*, ergo.

Sed contra 2dò. Ad Rom. 8. verba sunt Apost. *Quicunque Spiritu DEI aguntur, ii sunt Filii DEI*, ergo Spiritu DEI agi & gratiam habere, atque gratum quid agere, est à solo Spiritu DEI & gratia; agimur enim, & non agimus, ergo. Iterum idem Apost. loquitur: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum*, ergo. *Enimverò*: Objecta Calvini pridem solvit Aug. Serm. 13. de verbis Domini, cum quo textum objectum re-

resolvo: *Dicet mihi aliquis* (verba sunt Aurelii) *ergo agimur, non agimus? Respondeo; imò & agis, & ageris; & tunc bene agis, si à bono ageris; Spiritus enim Domini, qui te agit, agentibus Adjutor est; ipsum autem Nomen Adjutoris, præscribit tibi, quia & tu aliquid agis*; ergo. Ultimò allegatus textus nos non oppugnat, hoc enim tantùm dicit, quod dona fidei, spei, charitatis &c. à DEO proveniant; ex quo non rectè infertur: nos cum illis donis nihil operari; imò ideo dantur, ut cum ipsis operemur; Nam Luc. 19. Dominus dedit servis suis mnas dicens: *Negotiamini, dum venio*; & amabò: per servos quid aliud intelligitur, quàm Christiani? nónne enim legis in Evangelio adversarie dictum Christi ad Apostolos: *Vos vocatis me Magistrum & Dominum, & bene dicitis*; Si ergo Christus Dominus, Christiani utique servi sunt, ergo cum donis spiritualibus negotientur, id est: gratiæ cooperentur, nec enim merè passivè voluntas præsente gratia se habet, ergo.

Assero 2dò. Voluntati humanæ est liberum consentire gratiæ DEI excitanti; hoc tenere est conformiter ad sanam doctrinam de gratia loqui. *P. 1.* ex Act. C. 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*: Ex quo sic argumentor: Judæi, ad quos Stephanus loquebatur, licèt sæpiùs per inspirationem Spiritûs Sancti excitarentur ad fidem, adhuc tamen resistebant, ergo voluntati eorum liberum fuit consentire gratiæ DEI, ergo. Accedit: quòd Ps. 94. moneamur: *Hodie, si vocem Ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra,*

ergo

ergo possumus resistere gratiæ divinæ vocanti & excitanti, ergo liberè etiam possumus consentire, aliàs enim frustranea foret illa monitio hoc terminô expressa: *Nolite*, ergo. P. 2dò. Matth. 13. illud legimus: *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?* ergo poterat Jerusalem velle, consequenter liberum voluntati fuit consentire, quæ tamen noluit, *& noluisti*, ergo. Accedit porrò textus Apoc. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*; ergo est in potestate nostra pulsanti aperire, vel non aperire; alioquin non bene diceretur: *si aperuerit*, sed certò & necessariò mihi aperiet, ergo. Clarissimè Aurelius contra hostes & gratiæ & liberi arbitrii, Lib. de Spir & Lit. C. 34. ait: *Consentire Vocationi divinæ, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est*, ergo. P. 3tiò. vel gratia illa est efficax, vel tantùm sufficiens? si sufficiens, certum est, posse ei resisti; si efficax, cùm non sit aliter efficax, quàm dependenter à nostra cooperatione, hoc ipso nos non cogit, ergo voluntati manebit semper liberum consentire. Et nónne ex Scriptura certum est, aliquos divinæ vocationi consentire, alios resistere; consenserunt Matthæus, Zachæus, Latro; restiterunt Judæi juxta antè dicta Act. 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*; & secundùm illud: *Vocavi, & renuistis*; Jam sic argumentor: vel utrique liberè egerant, consentientes nempe & resistentes? vel necessariò & coactè? si prius: habemus intentum; si posterius: sequitur nec istos laude, nec hos vituperiô dignos esse;

 quare

quare ergo consentientes salvantur? quare resistentes damnantur? nónne injustum est puniri propter id, ad quod faciendum necessitatur aliquis? ergo. Profectò sequeretur (quod blasphemum est dicere) DEum aliquibus dare gratiam, & per eam cogere ad resistendum, ergo.

Sed contra: DEus obduravit cor Pharaonis, ergo liberum voluntati non est consentire. *Ità enim verò*: obduravit, id est: non dedit auxilium efficax, sed tamen sufficiens præbuit, cum quo liberè potuit operari, licèt operaturus non esset, ergo.

Sed contra: Ezech. 36. dicitur: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis carneum*; ergo sicut in lapidis potestate non est, mutari in carnem, ità non erit in potestate voluntatis humanæ, ut ex mala fiat bona; non igitur illi liberum erit consentire gratiæ. *Nequaquam ajo*: Voluntas enim nostra ex natura sua nec est lapidea, neque carnea, sed est virtus quædam media & naturalis capax utramque formam recipere, vel induere duritiem peccati, vel acquirere teneritudinem; neutrum tamen fit sinè ejus cooperatione; id quod colligere est ex Ezech. 11. *Projicite à vobis iniquitates vestras, & facite vobis cor novum.* Dico igitur: cor lapideum non posse fieri carneum, nisì & DEus cooperetur, juxta illud: *Dabo vobis cor carneum*; & nisì voluntas consentiat cooperando; juxta illud: *Facite vobis cor novum. Si dicas*: Gratia excitans, non est in nostra pote-

ſtate, ergo converſio non eſt nobis libera. C. A. D. C. Non eſt nobis libera negata gratia excitante C. illâ ſuppoſitâ & datâ N.

§ I.

Impugnatio I. Acatholici facta Fideli.

NOn omnes homines habent omni tempore ſufficiens auxilium gratiæ, quo ſi velint, ſaltèm phyſicè poſſint vitare peccata; nec omnes juſtificati habent auxilium moraliter ſufficiens ad vitanda peccata gravia; nec in mortale delapſi homines, ſi aliquamdiu ſervato uſu rationis ſupervivant, habent auxilium gratiæ ſufficientis ad reſurgendum per pœnitentiam. P. 1. Joann. 6. v. 44. dicit Chriſtus: *Nemo poteſt venire ad me, niſì Pater, qui miſit me, traxerit eum*; ergo cùm non omnes trahantur à Patre, non habent omnes gratiam ſufficientem; nam Chriſtus ait: *Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*, cùm ergo non veniant omnes ad Chriſtum, non omnes trahuntur à Patre, ergo. *P. 2dò.* Multi peccatores deſeruntur à DEO, ità ut non poſſint reſurgere, quod patet ex illo Eccleſ. C. 7. v. 14. *Nemo poteſt corrigere, quem DEus deſpexerit.* Et Joann. 12. v. 39. *Non poterant credere*: Et Iſaias habet: *Excæcavit oculos eorum*; Inſuper 1. Mach. C. 9. v. 13. dicitur de Ant. *Orabit hic ſceleſtus DEum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*, ergo non omnes habent gratiam ſufficientem. Denique ùt habetur Act. 4. v. 15. *DEus in præteri-*

tis

tis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas, ergo denique non omnes necessarias habent gratias, ergo. *P. 3tiò.* Si omnes homines haberent sufficientia gratiæ auxilia, etiam infantes recens nati, aut in utero adhuc materno delitescentes haberent sufficiens auxilium, ut ad baptismum pertingant, quod videtur esse inconveniens, aut certè minimè fundatum in sana Theologia, ergo nec alii homines adulti semper habent sufficientia auxilia gratiæ, ergo.

§ II.

Propugnatio Catholica Fidelis.

OMnes homines habent omni tempore sufficiens auxilium gratiæ, & ad non peccandum, & ad resurgendum à peccato. *P. 1.* DEus sub interminatione damnationis, præcipit omnibus observationem suorum mandatorum, cùm velit omnes, ùt dixi aliàs, & probavi salvos fieri, atque neminem perire, ergo necessariò omnibus debet dare ea media, quibus possint, si velint & præcepta servare, & æternam vitam consequi; nemo enim ad impossibile tenetur, ergo. *P. 2dò* De ratione amicitiæ est: amicum non constituere in morali necessitate amittendæ amicitiæ, ergo cùm justificati sint amici DEI, ejusdem erit illis prospicere de mediis moraliter sufficientibus ad non peccandum mortaliter, ergo. *P. 3tiò.* DEus omnibus peccatoribus præcipit pœnitentiam, vetátque etiam maximum peccatorem desperare

de

de salute; ergo debet sufficientia dare auxilia, quibus & supernaturalem spem veniæ concipere, & pœnitentiam agere valeat; hinc est illud 2da Petri 3tiò. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*, ergo. R. *jam ad* 1. C. textum, N. illationes. Ratio est: quia etsi omnes audiant à Patre, atque ità trahantur, non tamen omnes discunt; seu non omnes apprehendunt gratiam; hinc etiam non dixit Christus: Omnis qui audivit à Patre, venit ad me, omittendo illud: *didicit*, alioquin inaniter adhortatus fuisset *Psaltes Regius Ps.* 94. *si vocem Ejus audieritis, nolite obdurare corda* &c. id est: discere velitis vocem dictantem, illique obsequi, ergo sicut omnis vocem habet Patris loquentis, ità habet omnis gratiam sufficientem, ergo.

R. *ad* 2. Cum Dist: deseruntur à DEO per subtractionem gratiarum efficacium, majorum nempe & efficaciorum subsidiorum C. per subtractionem gratiarum Communium & sufficientium N. Quod additur, falsum est, nisi dicas: non posse resurgere, quia non volunt, sive ex suppositione gratiæ liberè eligunt perseverare in malo. Textum porro Eccles: explico: Nemo potest suis consiliis & svasionibus illum corrigere, quem DEus despexerit; loquendo & manendo in linea naturali C. quis enim Consiliarius Ejus fuit, DEI nempe, qui, ex altissimis judiciis aliquem suo sensui relinquit & despicit in futurum illius, sed voluntate tamen sua, interitum; nemo potest se-

ipsum

ipſum corrigere, ſi illum DEus deſpexit ſuppoſito ſemper præſenti auxilio N. ſinè dubio, nequit aliquis hominum, cor alterius efficaciter movere ad correctionem, nisì DEus pecularibus ſuis gratiis in tali peccatore operetur, & ità ſuis viribus nemo poteſt alterum corrigere, peccatorem nempe, quem DEus deſpexit, in ordine ad vitam æternam. Indè temeritas eſt illorum, ſi qui ſunt, qui concionibus ſuis, atque correptionibus imputare audent peccatoris converſionem; quia autem quilibet voluntatem ſuam in manu conſilii ſui habet, & ſimul gratiam ſufficientem ſemper præſtò habet, ideo ſi illum, ùt peccatorem DEus deſpexit, poteſt ſi vult, adhibitô auxiliô ſe ſe corrigere, & ad DEum convertere. Ulteriùs etiam textum Joannis explico: non poterant credere ex ſuppoſitione conſequente, quòd ſe liberè determinaverint, ad obſtinatè non credendum, quam obſtinationem DEus prævidit C. non poterant credere independenter à tali ſuppoſitione conſequente N. Id ipſum Iſaiæ de excœcatione illorum revelatum eſt; conſequenter ſtante prophetia, quæ falſa eſſe non potuit, Judæi nequiverunt credere; hæc tamen impotentia fuit ex ſuppoſitione conſequenti liberæ eorum determinationis, ad non credendum; non enim ideo non crediderunt, quod id ex DEI revelatione præcognoverit Propheta Iſaias, ſed ideo illud præcognovit, quia antecedenter illi liberè ſe determinaturi erant ad non credendum, ergo. Quod 3tium atti-

attinet textum, dico: Antiochum non petiviſſe à DEO gratiam, & remiſſionem peccati, ſed liberationem à cruciatu corporis; hanc verò ideo non impetravit, quia non verè dolebat de ſuis peccatis ergo. Cæterum 4tum textum explico: dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas, id eſt: non dedit illis tanta ſubſidia, quanta vel Judæis in veteri lege, vel Chriſtianis in nova C. dimiſit omnes gentes &c. id eſt: deſtituit illas omnî gratiæ præſidiô N. Hoc fateor: DEum gentibus illis non dediſſe legem ſcriptam, nec Patriarchas, nec Prophetas, ſicut Judæis, multò minùs legem gratiæ, Evangelium & Apoſtolos ſicut Chriſtianis, *non enim fecit taliter omni nationi; ait David Pſ. 147. & judicia ſua non manifeſtavit eis*; nihilominus dedit illis omnia ſubſidia, quibus ſi voluiſſent, ſalvari potuiſſent, ergo.

℞. *ad* 3. Citra omnem injuriam ſanæ Theologiæ infantes & recens natos habere auxilium, remotè & phyſicè ſufficiens; inquantum nempe DEus iisdem proſpexit de mediis generalibus per ſe aptis ad ſalutem, quæ illis per cauſas ſecundas applicantur; quod iis autem ſubinde non applicentur proximè, ídque vel vitio hominum *v. g.* Parentum, aliorúmque &c. vel ex cauſa intervenientis alicujus agentis naturalis *v. g.* fulminis, Matrem prægnantem profternentis; hoc ſe habet per accidens, neque DEus talem defectum applicationis intendit, ſed præcisè permittit; neque enim malitiam, aut ſocordiam hominum, neque etiam curſum ordi-

ordinarium in caufis fecundis impedire tenetur. Propterea tamen adhuc fubfiftit fæpe dictum, DEUM voluntate antecedente omnes falvos fieri velle, & ad finem præordinatum ultimum perducere ; confequenter etiam illis media proportionata & fufficientia ordinavit, ergo.

§ III.
Impugnatio IIda Acatholici facta Fideli.

IN juftificatione hominis, non infunditur illi gratia, five juftitia inhærens, qua interiùs renovetur, & in fe fiat juftus ; fed imputatur illi juftitia Chrifti. Ut autem imputetur hæc juftitia homini, opus eft fola fide, quæ illam juftitiam apprehendat. Hæc fides autem confiftit in eo : ut certò credas tibi omnia peccata remitti per merita Chrifti, & te juftum reputari apud DEum, etiamfi revera peccator & injuftus fis. *P. imò* ex 1. ad Cor. 1. v. 30. Chriftus eft juftitia noftra ; atqui non eft juftitia inhæfiva tanquam aliqua qualitas, ergo imputativè & extrinfecè. Accedit : quòd Apoftolus paffim inculcet nos per Chriftum juftificari. Sic ad Rom. 5to ait : *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conftituti funt multi, ità & per unius obedientiam jufti conftituentur multi.* Iterum 2. ad Cor. 5. v. 21. inquit : *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juftitia DEI in ipfo*, ergo. P. 2. Injuria fit Chrifto, fi præter juftitiam Chrifti alia,

alia, & hominibus propria admittitur; dicitur enim ad Philipp. 2. *Non habens meam justitiam, quæ ex Lege est, sed illam, quæ ex fide est, Christi JEsu*, ergo non est aliqua gratia in nobis, tanquam justitia inhærens, sed satìs ad hoc est, ut justi fiamus, quòd nobis imputetur justitia Christi. Nónne enim ad Rom. C. 10. v. 3. repræhendit Apostolus Judæos, quòd non quærerent justitiam DEI, sed suam, ergo. Denique per justitiam propriam datur nobis occasio, & superbiendi, & vanè gloriandi, ergo. *P. 3tiò.* Per peccatum Adami verè sumus, & dicimur peccatores, licèt peccatum Adami nobis solùm imputetur, ergo etiam per justitiam Christi verè erimus, & dicemur justi, licèt ea solùm imputetur nobis extrinsecè, ergo. Tandem urgeo argumentum à paritate: Adoptio humana in filium, non fit per qualitatem physicam, illi inhærentem, qua adoptetur, sed per favorem moralem, & extrinsecum; ergo etiam adoptio divina, qua in filios DEI adoptamur, non fit per qualitatem gratiæ inhærentem, sed per imputationem extrinsecam justitiæ Christi. Accedit: quòd justitia habeat se permodum vestis, & indumenti, juxtra illud Pauli ad Ephes. 4. v. 24. *Induite novum hominem*, atqui indumentum est aliquid extrinsecum, ergo. Denique multùm pro nobis facit textus Jeremiæ 23. *Et hoc est Nomen, quod vocabunt Eum: Dominus justitia nostra*, ergo. Tandem nónne Jacob indutus vestibus Esau obtinuit benedictionem, & hæreditatem? ergo & nos non aliter, quàm justitiâ Christi induti, hæreditatem æternam

obtinebimus. Denique justitia nostra nimiùm imperfecta esset, ergo non datur in nobis justitia inhærens, seu gratia; *A. P* Quia justitia debet exactè respondere legi; nulla autem humana justitia exactè respondet legi; nam Ps. 124. habetur: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, ergo. Accedit authoritas Greg. Lib. 8. mor: C. 23. *Quantalibet justitiâ polleant, nequaquam sibi - - sufficiunt, si in judicio districtè requirantur*; ergo necessariò justificari debemus per imputationem justitiæ Christi, ut in judicio subsistamus.

§ IV.

Propugnatio Catholica Fidelis.

DAtur in justificatione hominis gratia, sive justitia illi inhærens; non etiam sufficit ad justificationem impii, peccata non imputari; sed requiritur sanctificatio & renovatio interioris hominis. *P.* 1. ex Script. quæ 1 ad Cor. 6. v. 11. dicit: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis*, ergo in justificatione continetur & purgatio, & sanctificatio; atqui sanctificatio est forma positiva, scilicet gratia DEI infusa, quæ simul delet peccatum, & animam ornat justitiâ; sicut lux pellit tenebras, sed simul illuminat positivè, ergo. Jam autem hujus justitiæ inhærentis, duplex est effectus formalis: unus remissio peccatorum, & expulsio; alter renovatio & sanctificatio interioris hominis; uterque respectu nostri est gratuitus. Ulte-

terius causæ justificationis hæ numerantur: formalis est gratia, seu justitia inhærens; materialis est anima hominis, quæ in se recipit justitiam inhærentem; efficiens principalis DEus est; meritoria causa est Christus; instrumentalis autem: Sacramentum baptismi, & pœnitentiæ, finalis vita æterna. Totum hoc definitur in Trid. Sess. 6. C. 6. & 7. ergo. *P. 2dò.* ex 1. ad Cor. 3. v 16. *Nescitis, quia templum DEI estis, & Spiritus DEI habitat in vobis*, ergo specialiter tribuitur Spiritui Sancto justificatio; atqui non inhabitaret, si justificaremur tantùm per imputationem justitiæ Christi, ergo. Noluit igitur significare Apostolus, homines justos renovari, & sanctificari à Spiritu Sancto per infusionem donorum spiritualium, adeoque Spiritum Sanctum habitare in justis per inhærentem Sanctitatem, justitiam, & charitatem, ergo. *P. 3tiò.* ad Rom. 5. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ità & per unius obedientiam, justi constituentur multi*; sed per inobedientiam Adæ sunt multi peccatores verè intrinsecùs, & non tantùm imputativè constituti injusti, ergo etiam per obedientiam, seu justitiam Christi verè intrinsecè, & non tantùm imputativè constituentur justi. Accedit quòd communiter in scripturis justitia nostra vocetur: Filiatio DEI, participatio naturæ divinæ, diffusio in cordibus nostris, renovatio mentis, regeneratio &c. quæ omnia inhæsionem, & intrinsecum aliquid denotant, quàm solùm extrinsecam imputationem, ergo. *P. 4tò.* Sicut cale-

calefactio non potest intelligi, nisi depulso frigore, acquiratur aliquis calor, ità intelligi nequit justificatio, nisi per remissionem peccati acquiratur aliqua justitia realiter & physicè recepta in homine, ergo. Accedit: quòd summè deceat, ut in homine ad statum supernaturalem elevato detur aliqua forma, quæ sit principium & radix intrinseca eorum actuum, quibus pertingere debet ad finem supernaturalem, nempe ut detur forma positiva, quæ sit justitia inhærens, sicut in ordine ad actus, quibus consequitur homo suum finem naturalem, habet formam, nempe animam, quæ sit principium & radix illorum actuum, ergo. *P. 5tò.* Si homo per justitiam Christi sibi tantùm imputatam & quidem extrinsecè justificatur, sequitur Sanctum unum non esse sanctiorem, aut justiorem alterô; quia omnibus æqualiter justitia Christi imputatur; atqui hoc falsum, quin impium est dicere, cùm ore Veritatis æternæ constet de S. Joanne Baptista, ità eundem sanctum esse, ut inter natos mulierum, illô non surrexerit major, ergo. Denique pro totius confirmatione suffragatur adhuc textus Apostoli ad Rom. 12. *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*; & 1. ad Cor. 12. v. 27. *Vos estis corpus Christi & membra de membro &c.* Ex quo sic argumentor: membra non tantùm in capite, sed & in se habent vitam, nempe operationes vitales; anima enim in singulis membris est, & operatur; atqui homines justificati sunt viva membra Christi; quia sunt

justi, ergo non tantùm in capite, sed & in se vitam & operationes vitales habere debent; subs. atqui hæc vita justorum alia non est, quàm ipsa justitia seu gratia, & sanctitas formalis, ergo hanc habent necessariò in se, consequenter datur justitia inhærens, ergo. Confirmat totum clarissima PP. traditio *ut Aug. Lib. 12. Conf. C. 15. Ambros. Lib. 6. Hexamer. C. 8. Hieron. contra Pelag. Cyrilli Alexand. Lib. 6. de Trin. Greg. Lib. 18. moral. C. 33.* ergo.

℟. *jam ad 1.* & dico: Christum esse justitiam nostram, sed efficienter, quia nempe Ipse meruit nobis justitiam, & quia causa meritoria reducitur ad efficientem; non est autem justitia nostra formaliter, quâ tamen inhæsivè justi esse debemus. Sic dicitur Christus 1. ad Cor. 1. v. 20. *Redemptio nostra*, quia redemit nos. Ps. 17. *Fortitudo nostra, quod per illum fortes reddamur.* Ps. 26. *Salus nostra, quia salvavit nos*, quæ omnia innuunt Christum effectivè tantùm se habere, ergo. *Ad alterum textum Apostoli dico*: bene eundem loqui, quia justificamur formaliter per justitiam, quam NB. non habemus, nisì per merita Christi, adeoque bene per Christum justificari dicimur sic, ut Christus Causa sit principalis meritoria justitiæ nobis inhærentis, quâ formaliter justificamur, ergo. Ad verba allegati ibi textûs: *sicut per inobedientiam* &c. eôdem modô ℟. nos nempe meritoriè justos constitui per obedientiam Christi, quod solùm ibi supponit Apostolus, non autem justi constituimur formaliter per obedientiam Christi, sicut respectivè demeritoriè per inobedientiam Adami

constituimur injusti, sed non formaliter; & sicut Adam per suam inobedientiam meritus est posteris, ut in se ipsis contraherent peccatum originale, quô in se injusti fiant; ità è contrario Christus per suam obedientiam meritus est, ut in seipsis haberent gratiam, seu justitiam inhærentem, quâ in se justi sint. Porro ulteriori textu nîl evincit contra nos adversarius, cùm perperam arguat nos ità justos esse justitiâ DEI, quæ est in Christo, sicut Ipse dicitur peccatum, id est peccator, per peccata, quæ sunt in nobis; videlicet: quòd sicut Christo peccata nostra imputantur, ità justitia Christi imputetur nobis. Quia licèt concedi possit, peccatum nostrum Christo imputari, quoad debitum satisfaciendi, quod ille sponte suscepit, non est tamen concedendum, ità Illi imputari, ut ab illo peccato, peccator & iniquus censeri possit; similiter licèt verum sit, justitiam Christi nobis imputari quoad satisfactionem, quam pro nobis præstitit, falsum tamen est, ità nobis imputari, ut ab ea justi & sancti formaliter censeamur. Porro Christus vocatur citato textu peccatum *duplici sensu*; Imò quia factus est hostia pro peccato; hinc illud *Osea C. 4. v. 8 Peccata populi mei comedent*; ubi loquitur Propheta de Sacerdotibus, qui comedebant hostias pro peccato populi oblatas. 2dò. Sensu dicitur Christus peccatum: quia participavit carnem similem carni peccati, juxta illud ad *Rom: 8. v. 3. DEus mittens Filium suum in similitudinem carnis peccati*, ergo. Denique

to-

totius objectionis solutio dependet etiam ab hac explicatione; Pater æternus Christum, qui non peccavit, fecit pro nobis & peccatis nostris hostiam, sive victimam, ut nos efficiamur justitia DEI in Ipso, id est justitiam inhærentem recipiamus; sicut autem Christus verè atque realiter & non tantùm imputativè, participavit similitudinem carnis peccati, factus realiter homo, ità & nos non imputativè, sed verè & realiter participamus effectum, & similitudinem justitiæ divinæ, justitiam nempe inhærentem recipiendo, ergo.

℟. *ad* 2. & dico: Tunc fieret injuria Christo, si statueretur alia justitia, quàm quæ Christi meritis nobis est comparata; nulla tamen injuria irrogatur Redemptori, si Ille Causa meritoria principalis justitiæ nostræ statuatur, & alia, à meritis Christi distincta, formalis nempe & intrinseca admittatur, ergo. Cæterum Paulus rejicit tantùm justitiam, quam Ethnici ex viribus naturalibus, Judæi autem ex observatione legum cæremonialium, sinè fide in Christum obtinere nitebantur, ergo. Denique causam gloriandi ex se non habet, neque vanè gloriatur is, qui scit, atque fatetur, se omnino habere nihil, nisì ex gratia alterius; quod, cùm Catholici sciant & fateantur, habere se nempe præstantissimum justitiæ donum, non ex se, sed ex Gratia atque DEI Misericordia, ac ex meritis Christi, non est, quod illis imponatur aut vanæ gloriolæ, aut superbiæ impiæ nota, ergo.

R. *jam ad 3* N. alt: P. A., Nam peccatum Adami non imputatur præcisè nobis, tanquam à solo Adamo commissum, sed fuit etiam verè à nobis commissum, licèt NB aliô modô; nam Adamus illud patravit physicè, & voluntate propria, posteri verò solùm moraliter & voluntate aliena, nempe Adami, Cui eorum voluntates fuerunt moraliter alligatæ; Unde cuilibet inest verè proprium peccatum originale, utpote à quolibet verè commissum moraliter; jam autem Justitia Christi, non fuerat ità quasi in nos transfusa, neque eô modô transfundi potuit, ut per eam simus formaliter justi; sicut fieri non potest, ut Petrus sit albus, per albedinem Pauli, ergo. Denique ratio ulterior est: quia esse peccatorem, est denominatio moralis, nec requirit mutationem intrinsecam. esse autem justum est denominatio physica; sicut ergo peccatum Adami debet esse NB moraliter nostrum, ut possimus dici peccatores, ità justitia DEI participata, debet esse physicè nobis intrinseca, & nostra, ut possimus dici justi, ergo. Ad positam paritatem do Disp: Quia homo adoptans, non potest adoptato imprimere veram & physicam secum cognationem; èконтра DEus potest infundere talem qualitatem, vi cujus creatura, habeat specialem similitudinem cum DEO, & participationem naturæ divinæ, ac jus ad Patrimonium divinum, ergo. Consequenter in adoptione humana, solùm adoptatur filius, qui non est, & in adoptione divina, fit verè Filius DEI

ad-

adoptivus, per aliquid ipsi intrinsecum. Tandem illud quod de indumento objicitur, non facit contra nos, quia licèt indumentum corporale sit aliquid extrinsecum, non est tamen indumentum spirituale aliquid purè extrinsecum; nónne DEus Ipse dicitur: *indutus fortitudine* Ps: 32. éstne ergo fortitudo DEI DEO extrinseca? certè non. In hoc ergo est paritas: quòd sicut vestis ornat corpus, ità gratia ornet animam. Et aliunde metaphorica hìc est locutio; verba autem metaphorica, non inferunt omnimodam similitudinem, ergo licèt indumentum corporis non inhæreat, sed extrinsecè solùm adhæreat corpori, non potest idem omnimoda similitudine inferri de indumento spirituali, nempe de gratia, métaphoricè ab Apostolo indumentum dicta, ergo. Et certè, si paritas hæc ab indumento corporis omnimodè conveniret indumento spirituali, nempe gratiæ, sequeretur: quòd, sicut indumentum, seu vestis aliqua atteritur, ità etiam gratia deberet paulatim deficere, & atteri, quod falsum est. Denique idem Apostolus *ad Coloss. C 3* ait: *Induite viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem &c.* an propterea inferre potest adversarius, nos fieri formaliter misericordes, benignos, & humiles, per misericordiam &c. Christi? Profectò non, ergo nec amodo ex verbis Apostoli: *induite novum hominem* inferat, nos fieri formaliter justos per solam justitiam Christi. Præterea textu illo: *induite novum hominem* &c. Apostolus expressè

sè loquitur de interna renovatione per justitiam inhærentem, non verò de externa; patet id ex contextu, qui sic habet: *Renovamini Spiritu mentis vestræ, induite hominem novum, qui secundùm DEum creatus est in justitia*, ergo. Textus Jeremiæ nos non oppugnat; quia non aliter in hoc dicitur Christus justitia nostra, quàm in *Ps. 70.* vocetur *Patientia nostra*; *Ps. 17. Fortitudo nostra*; atqui neque patientia, neque fortitudo nostra dicitur imputativè, quasi nos formaliter patientes, & fortes per Ejus patientiam & fortitudinem fieremus, imputatâ solùm nobis patientiâ illius & fortitudine, ergo nec dicetur imputativè justitia nostra, ergo. Hoc fateor: efficienter fortitudo & patientia nostra dicitur Christus, quia videlicet per gratiam suam, quâ nos adjuvat, efficit nos patientes, & fortes; quo sensu etiam justitia nostra effectivè appellatur. Porro paritas à Jacobo induto vestibus Esau huc non valet, si referatur ad justitiam DEI, quâ nos formaliter justi censeamur; solùm ergo valet hoc exemplum, si ad justitiam satisfactionis Christi referatur, ut videlicet merita Christi induamus, & vi illorum petamus, atque impetremus remissionem peccatorum, & infusionem gratiæ sanctificantis, ergo. Postremò ex imperfectione justitiæ nostræ, & ex allegatis textibus nihil contra nos probatur. Nam imprimis justitia inhærens est perfecta, ità, ut per eam propriè ac verè justi nominemur & simus, ergo; justitia quidem actualis, quæ in exercitio bonorum operum

con-

consistit, & quidem aliquô modô imperfecta propter admixtionem peccatorum venialium, & imperfectionum, sed propterea non desinit esse vera justitia, & absolutè perfecta. Hoc fateor, si comparationem adversarius facere intendit cum DEI, Christíque justitia, procul dubio nostra erit imperfecta; hoc autem nîl evincit, quò minùs justitia nostra exactè respondere possit legi; sicut enim aliæ virtutes, ùt est charitas DEI, & aliæ, licèt comparativè, si nempe comparentur ad virtutes Christi, possint dici imperfectæ, adhuc tamen in se absolutam habent perfectionem, ut per illas exactè responderi possit legi, ità etiam justitia nostra, licèt per comparationem, & similem respectum suô modô imperfecta censeri possit, in se tamen absolutam habebit perfectionem, ut per illam homines exactè respondeant legi, ergo.

DOGMA IV AUGUSTINI DE MERITO.

NOn putes te promerendo accepisse, qui non promereres, nisì accepisses; Gratia præcessit meritum tuum; non gratia ex merito, sed meritum ex gratia; nam

nam si gratia ex merito, emisti, non gratìs accepisti; sed planè cùm data fuerit, incipiunt esse etiam merita nostra bona; per illam tamen; nam si se illa subtraxerit, cadit homo non erectus, sed præcipitatus libero arbitrio Serm: 169. *de verb. Apost:* C. 2. N. 3. *Tom:* 5. *Lib: de Gratia & lib: arb:* C. 6. N. 13. *To.* 10. *Nulláne igitur merita justorum? sunt planè, quia justi; sed ut justi fierent, merita non fuerunt. Epist:* 194. *ad Sixtum.* C. 2. N. 6. *Sinè ulla dubitatione confitendum est, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis datur, quæ gratia contulit homini; rectè quippe intelligitur, quæ in Evangelio legitur, gratia pro gratia, id est: pro his meritis, quæ contulit gratia. Lib: de Corrept: & Grat:* C. 13. N. 41.

To.

To. 10. Cui reddet coronam debitam, o! Paule parve, magne, cui reddet? utique meritis tuis. Bonum certamen certâſti, curſum conſummâſti, fidem ſervâſti; reddet coronam debitam his meritis tuis; ſed ut reddatur tibi corona tua, DEI dona ſunt, merita tua; Gratia DEI per Ipſum Chriſtum Dominum noſtrum; ecce unde pugnâſti, ecce unde laborâſti, ecce unde non defeciſti, ecce unde viciſti. Iſta utique jam merita ſua bona commemorat, ut poſt bona merita, conſequatur coronam, qui poſt merita mala conſecutus eſt gratiam. Serm: 297. C. 4. N. 6. To. 5. Lib: de Grat: & Lib: arbit: C. 6. N. 14. To. 10. Ipſe autem Dominus, cùm in uno templo orarent Phariſæus & Publicanus, Publicanum confitentem peccata ſua ma-

magis justificatum dicit, quàm Pharisæum jactantem merita sua. Quanquam enim justificatus destiterit esse peccator, tamen, ut justificaretur, peccator orabat, & peccator confitebatur, & exauditus, justificatus est, ut desineret esse peccator. Lib: 2. contra Parmen: C. 8. N. 17. To. 9.

PARAPHRASIS DOGMATIS.

CLarissimè Aurelius dogmate suo edocet etiam pro statu naturæ lapsæ dari verum ac proprium supernum meritum; licèt enim contra falsa merita Pelagiana solis naturæ viribus comparata, quæ gratiam præcederent, non consequerentur ex gratia, quibus debita redderetur gratia, non quæ ex indebita donarentur gratia; quorum gratia esset merces, non quæ gratiæ essent donum, licèt, inquam, contra similia merita acutissimè pugnârit Augustinus, & illa etiam expugnârit; non negat tamen, quin sapientissimè demonstrat dari vera merita Christiana, gratiæ divinæ munere parta, quæ effectus, Sobolésque ac fructus gratiæ sint; non quæ consequentem antecedant gratiam, sed quæ ex præcedenti consequantur gratia, quæ illius sint munus, & quibus gloria sit præmium. Atque hæc in præsenti etiam pro statu naturæ lapsæ dari invictissimè propugnat Aurelius. Et quamvìs *Lib: de Corrept: & Grat. C. 12. N. 37. To. 10.* videatur aliquibus negare potiùs, quàm admittere merita,

ta, cum ità loquitur: *Unde autem non glorietur caro coram Ipso nisì de meritis suis? quæ quidem potuit habere, sed perdidit; & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est, per liberum arbitrium; propter quod non restat liberandis, nisì gratia liberantis; ità ergo non gloriatur omnis caro coram Ipsò; non enim gloriantur injusti, qui non habent unde; nec justi: quia ex Ipso habent unde.* Attamen bene intellectus S. Doctor plenissimè in rem nostram & Christianam docet, quia ex hoc Aurelii textu natura humana, in primo Parente vitiata, per liberum illius arbitrium, perdidit ea bona merita, quæ per idem arbitrium liberum potuit habere; si enim Adam acceptam originalem justitiam custodîsset incolumem, merè gratuitam simul cum natura, posteri accepissent & gratiam, quæ caput est omnis superni meriti. Jam verò, cùm DEus misericors corruptam in Adam decreverit reparare naturam, beneficiô divinæ gratiæ, quæ confertur indignis atque immerentibus, restaurantur in nobis superna merita, quorum gratia est initium, liber verò voluntatis assensus, est quoddam meritorum veluti complementum. Hinc optimè S. Doctor in allegato textu concludit: Non gloriantur coram Ipso de meritis suis justi, quia ex Ipso habent unde. Tandem acutè innuit Aurelius, neque peccatores in omnibus suis actionibus necessariò peccare, cùm hac aliisque dogmaticis sententiis peccatorum preces, aliáque pietatis opera approbet, atque commendet, illósque ad hujusmodi actus exercendos, utpote honestos, utiles, ac DEO gratos, vehementiùs acuat atque incendat. Cum quo amodo sit.

CAPUT I.

Fidelium mores informati in materia meriti.

Dico I. MEritum à merendo generalissimè dictum Theologicè acceptum est;

ob-

obsequium supernaturale DEO præstitum, potens ex se movere ad retributionem supernaturalem. Duplici ordine illud & respicit, & terminatur ad DEum; *imò.* ùt ad Authorem supernaturalium, per quem respectum differt ab omni alio merito, quod est ordinis naturalis. *2dò.* ùt DEus Ipse est prœmium supernaturale meritorum; ratione cujus connotationis, & respectûs, iterum diversificatur supernaturale opus meritorium ab obsequio meritorio naturali, quod retributione duntaxat temporanea compensari meretur. Est autem opus meritorium Theologicè sumptum: gratiæ cooperantis effectus, & universim appellatur *valor operis*; quia intuitu illius merens à DEO prœmiante, retributionem meretur, conformiter ad illud D. *August: in Ps. 88. Da, quod habes, ut merearis accipere, quod non habes.* Meritum illud duplex est; aliud *de condigno*, aliud *de congruo* vitæ æternæ retributionem exigens. Condignum illud vocant Theologi: cui ex justitia vel quasi justitia proportionatum correspondet prœmium. Meritum congruum juxta eosdem est: cui ex quapiam convenientia & congruitate sua debetur retributio. Utriusque hujus meriti meminit Magnus Augustinus *in Catech: rudi: C. 18.* dum ait: *Quidquid homo fecerit, laudabilem in suis factis invenit DEum; si rectè egerit, laudabilem invenit per justitiam præmiorum; si peccaverit, laudabilem invenit, per misericordiam indulgentiarum.*

Dico 2dò, Merita & opera bona justorum, de-

defacto merentur de condigno prœmium vitæ æternæ. *Ità Hippon: Præsul: Epist 215. his verbis: Tempus est: ut donum vitæ æternæ, cùm adhuc in ista vita simus, festinanter comparemus; quia cùm finis sæculi venerit, non dabitur, nisi eis, qui fide hoc sibi meruerunt, antequam videre potuissent.* Quòd autem merita, & opera bona justorum vitæ æternæ sint de condigno meritoria, sic probari potest: Tunc opus bonum est de condigno vitæ æternæ meritorium, quando illud habet æqualitatem cum prœmio; atqui omne opus bonum, in gratia factum, habet æqualitatem cum vita æterna, tanquam prœmio operi meritorio correspondente, ergo. M. est essentia meriti condigni; m. P. Initium quà initium habet proportionem æqualitatis cum fine quà fine sibi adæquatè commensurato; atqui gratia habitualis utpote semen & radix vitæ æternæ, est initium futuræ beatitudinis; & gloria Cœlestis, seu vita æterna, est finis huic initio commensuratus, nam illa passim à SS. PP. *gratia consummata* nuncupatur, ergo. Denique P. decisio ulteriùs à pari: Mala opera sunt æternæ damnationis de condigno demeritoria, quia ab impiis gratiâ destitutis exercentur; ergo etiam merita & bona opera sunt vitæ æternæ de condigno meritoria, quia à justis, gratia sanctificante præditis, salutariter ponuntur. Suffragatur dictis Augustinus Dogmaticus *Epist:* 105. ubi ità: *Sicut merito peccati, stipendium redditur mors, ità merito justitiæ, tanquam stipendium, vita æterna.*

Dico 3. Meritum de condigno, quinque importat: *1mò.* Opus ex se bonum. *2dò.* Etiam in statu Gratiæ factum. *3tiò.* Liberè & sinè coactione, ac necessitate exercitum. *4tò.* In statu viæ positum. *5tò.* Denique ad DEum tanquam ad finem ultimum, & Authorem supernaturalium ordinatum. His autem quinque conditionibus observatis, ità promeretur aliquis gloriam Cœlestem, ut hæc ei ex debito justitiæ conferatur. Neque huic operum meritoriorum condignitati refragantur varia scripturæ testimonia, ubi vita æterna gratiæ nomine compellatur. In hisce namque locis nihil aliud indigitatur, quàm, quòd sinè gratiæ communicatione, quæ gratìs omnibus datur, ad merendum impotes, & inhabiles inveniamur. Ut rectè iterum annotat Magnus Aurelius *Epist: 105. Vita æterna, justitiæ quidem stipendium, sed tibi Gratia est, & ipsa justitia.* Sic etiam dicitur: DEus nos coronat in misericordia, & miserationibus, quia, dum coronat DEus merita nostra, coronat dona sua, non enim hæc confert, nisì misericorditer. Hinc neque inficiari possumus, nobis gloriam Cœlestem à DEO bonorum supernaturalium Largitore donari ùt hæreditatem; nam *Ecclesia accepit hæreditatem vitam æternam per Christum, Cui adhærens beata sit.* inquit iterum *Augustinus To: 8. in Ps: 5.* Quæ hæreditas tamen, ità nobis obvenit, ut adultis, etiam tanquam merces laborum, & bonorum operum retributio correspondeat. Nempe Gloriam Cœlestem ùt hære-

hæreditatem accipimus tanquam Filii DEI adoptivi; ùt mercedem verò, tanquam solertes in vinea Domini Operarii, ceu laborum nostrorum, & meritorum supernaturalium prœmium consequimur.

§ I.

Quid sentiendum de bonis operibus Fideli?

Difficultatum Theoretica Series.

1mò. A*Lardus* Nobilis adolescens peregrinis ab oris redux, perplexâ laborat conscientiâ, quòd nullum toto vitæ decursu exercuisse hactenus videatur opus bonum; quia actiones suas ex perfectæ charitatis motivo, nunquam elicuit. *Quær.* An ut actus sit meritorius, debeat esse ex charitate elicitus? aut imperatus? ità quidem: ut non sufficiat motivum alterius virtutis inferioris; & quomodo intelligendum sit illud S. August. in Enchyrid. C. 117. *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est charitas.* *2dò.* *Benitius* Eremita pœnitens, vehementiori urgetur tentatione ad deserèndam solitudinem, quia firmiter persvasum sibi habet, omnibus actionibus suis, & bonis operibus non posse promereri donum perseverantiæ. *Quær.* Quomodo tali succurrendum sit auxilio spirituali? & quanam ratione meritum differat ab impetratione, & satisfactione? *3tiò.* *Dojenius* natione Turca, qui à prima ætate ductum rationis secutus, varia bona opera exercuit, repentina ani-

nimi motione, ad fidem salvificam amplectendam incitatur; atque à Viro quopiam Religioso baptizari expetit. *Quær.* An quis per bona opera naturalia, sibi promereri valeat donum fidei? & quis sensus illius apud Theologos recepti dogmatis: *Facienti, quod est in se, DEus non denegat gratiam.* 4tò. *Caletus* multorum annorum peccator, bonis operibus exercendis, omnem quidem impendit operam, ast hucusque actum se egisse reputat, quia in quadam ad populum habita dictione, ex Concionatore intelligit: opera hominis peccatoris mortua esse, nec quidquam conferre ad consecutionem beatitudinis æternæ. *Quær.* An peccator per bona sua opera nihil promereri possit, quamdiu est in statu disgratiæ? & cujus prœmii sint meritoria opera bona justorum? 5tò. *Flaccus* pientissimæ vitæ Religiosus precibus, ac meritis suis commendatam accipit à Correligioso Confessario, animam inveterati peccatoris, ut videlicet eidem DEI gratiam promereri satagat. *Quær.* Quomodo proximo nostro mereri possimus gratiæ vocantis, aut sanctificantis donum? & quæ facienda sit interpretatio illorum scripturæ verborum: *Cùm omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus.* 6tò. *Emantus* in ordine Religioso Professus, magna animi pœnitudine ducitur, quòd vota ultima Religiosa emiserit, sicque usu pinquioris cujusdam hæreditatis, se se propria voluntate privaverit. *Quær.* An illa pœnitudo imminuat rationem meriti? & utrum non sit

per

per eam pœnitudinem peccati reus effectus Religiosus?

§ II.

Difficultatum practicæ Solutiones.

R. *ad* 1. INanis *Alardi* est solicitudo, dum putat se nullum exercuisse opus meritorium; quia ex charitatis perfectæ motivo operari non adlaboravit. Decisio hæc patet ex propos. damnata Alexand. VIII. N. 13. quæ sic habet: *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu DEO famulatur, charitate si caruerit, vitiô non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operetur*, ergo. Ex quo consequitur, quòd actus virtutis alicujus meritorius esse possit vitæ æternæ, etsi ille ex alio, quàm perfectæ charitatis motivo procedat; siquidem Scriptura, aliis etiam actibus vitam æternam appromittit; ùt Matth. 19. dicitur: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; Horum autem mandatorum multa pertinent ad justitiam, & alias virtutes à charitate distinctas; id denique etiam evincit ratio: quia omnis actus virtutis infusæ, *v. g.* Fidei, spei, aut timoris Domini, abstrahendo à charitate, est per se supernaturalis, laude ac prœmiô æternô dignus, & in homine justo verum meritum Regni Cœlestis, neque tali actui deest aliquid, quò minùs proportionatus sit prœmio vitæ æternæ, ergo. Illa proinde in casu citato D. Augustini verba hunc apud Theologos sensum obtinent, quòd nempe charitas frequenter

latè accipiatur, prout omnem virtutem infusam complectitur, qua exercentur opera DEO accepta, quæ carnalem cupiditatem excludunt; sæpe etiam Scriptura & PP, dum ajunt: opera nostra nîl prodesse ad vitam æternam finè charitate, vel agunt de charitate habituali, conjuncta cum statu gratiæ; vel certè negant ea ad meritum sufficere, quamdiu versamur in proximi odio, aut alia dispositione charitati positivè contraria, ergo.

R. *ad* 2. Licèt pœnitens Eremita actionibus suis ac bonis operibus promereri non possit de condigno donum perseverantiæ, potest tamen id ipsum à DEO impetrare meritô congruô non habente infallibilem connexionem cum prœmio. Hinc Augustinus Lib. de dono Persev C. 6. docet hominem hoc donum posse suppliciter emereri, ergo. Quando verò idem Sanctus C. 13. asserit, & inchoandi, & usque ad finem perseverandi, gratiam DEI, non secundùm merita nostra dari, solùm excludit meritum condignum, vel quod ex solis naturæ viribus procedit. Hinc pœnitenti *Benitio* constantia in oratione, atque precibus cum humilitate, & filiali in DEum timore, per omnia svadenda venit. Cæterum differt omne meritum *ab impetratione* per hoc: quòd illa moveat ad aliquid obtinendum permodum petitionis; & à satisfactione per hoc: quod hæc sit quædam redditio æquivalens injuriæ; meritum verò in concreto acceptum, sit opus bonum in obsequium alterius factum, ex se idoneum ad aliquid obtinendum, permodum prœmii.

R. *ad*

℟. *ad 3.* Opera bona *Dojenii* erunt quidem merita, ſed ſolùm ordinis naturalis; quia tamen ille hæc exercendo præterea totam naturæ legem exactè obſervavit, merebitur ſibi donum fidei; nam licèt merita naturalia, non ſint diſpoſitio *poſitiva* ad fidem aut gratiam; attamen ad eadem dona ſupernaturalia recipienda animam quodammodo *negativè* diſponunt; ità paſſim Doctores Catholici contra Semi-Pelagianos, qui etiam quævis opera bona naturalia, NB. poſitivè præparare animam ad dona ſupernaturalia à DEO obtinenda admittebant. Atque ità etiam in ſenſu Catholicorum intelligenda eſt hæc ſententia Theologica: quòd nempe DEus facienti, quod eſt in ſe, non deneget gratiam; Nam, quòd illam ad ſalubriter credendum omnino non deneget, fatetur ipſe Doctor Angelicus de Veri. Q. 14. de fide Art. 11. ad 1. his verbis: *Dicendum, quod non ſequitur inconveniens, poſito, quòd quilibet teneatur aliquid explicitè credere, ſi in ſilvis, vel inter bruta animalia nutriatur; hoc enim ad divinam Providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de neceſſariis ad ſalutem; dummodo ex parte ejus non impediatur; ſi enim aliquis taliter nutritus, ductum naturalis rationis ſequeretur, in appetitu boni, & fuga mali, certiſſimè eſt tenendum, quòd ei DEus, vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei Prædicatorem ad ipſum dirigeret.* Rurſus in 2dum Sentent. Diſt. 28. Q. 1. Art. 4. ad 4. dicendum: *Quòd etiam ad fidem habendam aliquis ſe præpa-*

 rare

rare potest per id, quod in naturali ratione est; utique negativè, ergo. Denique ulterior adhuc ratio hæc assignari potest: quia dispositio negativa ad fidem vel gratiam, est carentia omnis impedimenti, vel obicis in ordine ad recipienda dona supernaturalia; atqui ubi habetur similis carentia, etiam potest induci forma, ùt patet in rebus & entibus naturalibus, ergo. Potest itaque, facta priùs instructione in necessariis necessitate medii ac Præcepti, à Viro Religioso cum licentia Reverendissimi Officii baptizari Turca, nisì fortè Vir ipse Religiosus loci jam Parochus ac Curatus foret.

℟. *ad* 4. Per opera sua naturalia, in continuo disgratiæ statu facta, nîl quidem de condigno mereri potuit *Caletus*, quod saluti & beatitudini æternæ proportionatum fuisset; poterat tamen promereri sibi prœmium aliquod naturale, quale DEus in hac vita hæreticis etiam & infidelibus tribuit, ut futurus subinde Judex similium dicere valeat: *Fili recepisti mercedem*. Itèm gratia actuali præventus poterat mereri *Caletus* gratiam sanctificantem, quamvìs de congruo tantùm. *Nam si dives Epulo pauperis ulcerosi misertus fuisset, mereretur & ipse misericordiam* inquit S. August. Epist. 89. & Epist. 105. Idem Magnum Ecclesiæ Lumen ait: *Neque ipsa remissio peccatorum sinè aliquo merito est; si fides hanc impetrat; neque enim nullum est fidei meritum*. Jam verò, opera justorum quod attinet: hæc semper sunt meritoria de condigno; meretur autem homo in statu gratiæ sanctificantis con-

sti-

ſtitutus præter vitam æternam, gratiæ etiam augmentum de condigno. Audiatur iterum Magnus Aurelius Tr. 74. in Joann. *Reſtat*, inquit, *ut intelligamus Spiritum ſanctum habere illum, qui diligit, & diligendo mereri, ut plus habeat, & plus habendo diligat*; ergo. Atque effectus iſte meriti condigni ſemper infallibilis eſt, nam meritum congruum cùm ſoli cuidam congruentiæ, non verò illi DEI promiſſioni innitatur, fieri poteſt, ut effectum ſuum non conſequatur; poſſunt quippe aliæ ſubeſſe rationes ob quas convenientiùs ſit à DEO bona illa non conferri his, quibus promereri ac impetrare quis contendit. Nam *diſcernamus*, ait hìc Aurelius *Tr: 6. in Joan: To. 9. exauditiones DEI; invenimus quosdam, non exauditos ad voluntatem, exauditos ad ſalutem; & rurſus quosdam invenimus exauditos ad voluntatem, & etiam exauditos ad ſalutem*, ergo.

R. *ad 5.* Precibus ac meritis ſuis pius Religioſus peccatori inveterato, non aliter, quàm de congruo gratiam promereri potuit. Ità ſentire videtur Auguſtinus Dogmaticus *Serm: 90. de Diver: C. 201.* cum dicit: *Si Martyr Stephanus non oráſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Hoc tamen in præſenti advertendum eſt: unum alteri imam Gratiam ſanctificantem, aut illius augmentum, etiam de congruo non poſſe aliter promereri, niſì in quantum illi gratias actuales meretur, aut alia media, quibus ad illam gratiam, aut ejus augmentum diſponitur. Ut autem ejusmodi effectus ſequatur,

opus est: ut qui meretur pro altero, opus illud bonum, saltèm interpretativè referat ad hunc finem; requiritur etiam præterea, ut is, in cujus gratiam opus illud bonum dirigitur, nullum ejus effectui ponat obicem. Nè autem bona opera exercere volentes à proposito deterreantur illo Scripturæ textu: *cùm omnia feceritis* &c. sequens ab eis facienda est verborum horum interpretatio; dicimur nempe *servi inutiles*, etiam postquam omnia fecimus, quæ præcepta sunt nobis; quia DEus ex obsequio nostrorum operum, nullam colligit utilitatem; vel etiam: quia opera illa, non nostris fulti viribus, sed ex auxilio gratiæ divinæ operamur.

℟ *ad 6.* In adducto casu, propter ejusmodi pœnitudinem, omnino mortificari, & veluti extinqui, excellentiam illam meriti, quam alioquin ex professione Religiosa habuisset, si prima illa voluntas, qua vovit, adhuc vigeret; imò diligenter à Confessario, qui super hoc casu interrogaretur, discernendum erit, de quonam fuerit illa Religiosi pœnitudo; nam si fuit *de ipso opere promisso*, sive *de executione voti* præterita, aut futura, certum est: illam esse peccatum tale, quale est, nolle exequi promissum ex voto. Si autem sit solùm de actu præterito, quô quis vovit; per se loquendo, nullum est peccatum. Ut docet hìc a. 6. Cajet: & Navar: C. 12. N. 55. Sot. Lib: 7. de Just: Q. 2. a. 2. Hoc autem intelligitur 2dùm eosdem Doctores, dummodo non obstante tali pœ-

pœnitudine, perſeveret voluntas implendi votum; quod autem hac voluntate exiſtente, ejusmodi pœnitudo non ſit NB. *per ſe* peccacatum, probat optimè Cajetanus; quia idem prorſus objectum voluntatis, eſt *actus vovendi præteritus*, *&* *actus vovendi futurus*; ſed poteſt quis, ſinè peccato, voluntate averſari, actum vovendi de futuro, atque adeò nolle vovere, ergo etiam poteſt nolle ſe voviſſe, atque adeò pœnitere de actu voti præterito; Nam ipſe actus vovendi non eſt ſub præcepto, ſed ſolùm executio operis promiſſi per votum, ergo.

§ III.

Qualia opera ex obligatione exercenda? & quo tempore veniant à Fideli?

Difficultatum Theoretica Series.

1mò. JUventius vitæ aliàs probatæ Catholicus, ſuam Confeſſario declarat conſcientiæ anxietatem, quòd omnia & ſingula bona opera purè exercuerit intuitu mercedis aliquando in Cœlo recipiendæ; *Quær:* Quid de ſtatu *Juventii* ſentire ſit integrum Confeſſario? & an opera meritoria quidpiam proſint ad ſalutem conſequendam? *2dò.* *Heſichius* affirmat copioſis ſceleribus ſauciam ſe habuiſſe conſcientiam; nunc autem conari, frequentiora bona opera exercere, præſertim actus charitatis, plùs exhibendo amoris inimicis, & hoſtibus, quàm

ami-

amicis, & benefactoribus suis. *Quær:* Quis amor sit ampliùs meritorius: ille, qui exhibetur inimicis? an iste, quo amicos diligimus? & quæ opera ex obligatione exercenda à fidelibus? 3tiò. *Gramontius* quotiescunque se offert occasio, opus aliquod cuipiam virtuti contrarium perpetrandi, ab illius operis executione abstinet, nec tamen positivum aliquem operis meritorii actum exercet. *Quær:* an omissio mali sola sit vitæ æternæ meritoria? & quo tempore à fidelibus exercenda sint bona opera? *Kilantius* in bonis operibus, ac cumprimis eleemosynis distribuendis, quandam personarum discretionem observat; sic tamen: ut malæ notæ mendicos, à dictarum eleemosynarum participatione ordinariè excludat. *Quær:* an meritô careamus, cùm peccatoribus bene fecerimus? & quis ordo servandus, in exercendis bonis operibus misericordiæ, ut meritoriè operemur? 5tò. *Lucanius*, acerrimus bonorum operum osor, cum complacentia carnali coram amicis suis se se jactat, quòd cum Lucretia sceleratos frequentiùs actus liberrimè exercuerit. *Quær:* Quot malitias contraxerit Lucanius, jactando se de opere malo? & quot modis opus demeritorium & facinorosum exerceri possit, quod simul sit scandalosum? 6tò. *Niralius* trium prolium adhuc impuberum Pater, mortua uxore, Religionem ingredi meditatur, justo tamen timore angitur, nè ob absentiam suam, & ingressum in Religionem, proles in occasiones peccandi delabantur. *Quær:* An Pater,

ter, ut meritoriè operetur, teneatur abstinere, ab ingressu Religionis, quô præcaveatur ruina spiritualis prolium? & an scandalum etiam cadat in viros perfectos?

§ IV.

Difficultatum practicæ Solutiones.

R. ad 1. MEritum vitæ æternæ, non amisisse *Juventium*, qui intuitu mercedis, aliquando in Cœlo recipiendæ, omnia & singula bona opera sua exercuit. Suffragatur huic decisioni, cum communi Theologorum Durandus in 3. Dist: 29. Q. 3. Prob: id *imò.* ex scriptura, quæ sæpe nobis proponit vitam æternam, ut propter illam adipiscendam, rectè, ac piè vivamus, atque adeò etiam hoc pactô DEum diligamus, ùt *Ps.* 118. *Inclinavi cor meum, ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Et *Matth*: 4. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cœlorum.* Iterum Gentium Doctor *1ma ad Coloss.* ait: *Gratias agimus DEO, & Patri Domini Nostri JESU Christi, semper pro vobis orantes, audientes fidem vestram in Christo JESU, & dilectionem, quam habetis omnes propter spem, quæ reposita est vobis in Cœlo*, ergo. P. 2dò. ex Defin: Ecclesiæ. In Concil: Trident: contra Sectarios *Sess*: 6. *C.* 11., *& Can*: 36. *Si quis dixerit justum peccare, dum intuitu, Divinæ Mercedis operatur, anathema sit.* Denique 3tiò. P. id ipsum ex *D. Aug. in Ps.* 14. ubi expressè ità sermocinatur, ad rem præsen-

tem appositissimè: *Non faciamus aliquid, nisì spe Cœlestium præmiorum; ipsa est enim altitudo, non hìc quærere mercedem, sed sursum.* Tandem ratio pro hoc est sequens: possunt ab hominibus exerceri opera bona, sic, ut illa sint *ex se* ordinata ad certum finem; atqui omnia opera bona ex se sunt ordinata ad beatitudinem æternam tanquam finem; ergo. Prosunt itaque opera meritoria ad salutem & felicitatem æternam; quod rursum ità Prob: Illud prodest ad salutem & felicitatem æternam consequendam, quod aliquô modô est causa consequendæ salutis, sed bona opera sunt nobis quæpiam causa consequendæ salutis, nimirum: Non præcisè, ùt sunt ex nobis, quasi independenter à DEI Gratia & auxilio, sed ùt his fulciuntur; igitur meritò sic nos movent ad sperandam salutem. Quòd autem merita, ità considerata, sint nobis causa consequendæ salutis, præter multa Scripturæ Sacræ, & PP. testimonia, sufficiat adducere illud *Petri 2da Ep: C. 1. Satagite, ut per bona opera vestra, certam vestram vocationem, & electionem faciatis*; ergo.

℞. *ad 2. Per se loquendo*, multò ampliùs meritoria est dilectio amicorum, quàm Charitas, quâ quis hostes, & inimicos prosequitur; & hinc Charitas *Hesichii*, meritoria non fuit, nisì NB. eum invincibilis ordinatæ Charitatis ignorantia, aut certè alia circumstantia excuset. Colligitur id ex D. Th: a. 7. & 8. hìc. Ratio autem præsentis resolutionis est; quia major perfectio & dignitas meriti, in dilectione cha-

ritatis, præcipuè metienda eſt, ex perfectione objecti materialis ipſius; nam poſt formalem rationem objecti Charitatis, potiſſimùm reſpicit dilectio ipſum objectum materiale, ex quo potiſſimùm accipit ſuam quaſi ſubſtantiam individualem, quâ ſcilicet continetur diſcrimen, & inæqualitas actuum charitatis; atqui, *per ſe loquendo*, perfectior eſt dilectio amici, quàm inimici ergo. P. m. Illa dilectio eſt perfectior, quæ eſt de objecto materiali præſtantiori, & magìs conjuncta ipſi diligenti, atque etiam DEO, atqui talis eſt dilectio amici *per ſe loquendo*, ergo. Dixi *per ſe loquendo*: quia negandum non eſt, quin amor inimicorum eſſe ſoleat indicium majoris, & perfectioris charitatis habitualis; imò aliquando etiam per accidens intenſior, ob difficultatem, quæ ſuperatur adhibito majori charitatis conatu; quæ etiam cauſa eſt, cur interdum dilectio inimicorum, meritò magìs laudetur; hinc etiam Apoſtolus comendat charitatem Chriſti, quia pro inimicis mortuus eſt; id enim fuit argumentum intenſiſſimæ erga genus humanum charitatts habitualis. Præter opera charitatis, quæ erga DEum & proximum exercere ex obligatione tenetur fidelis, etiam fidei, & ſpei actus deſiderantur, ſinè quibus ſalus æterna obtineri nequit. Exercenda ſunt præterea opera bona ex obligatione, quæ præceptis, tum affirmativis, quàm negativis in decalogo præcipiuntur &c. Demum etiam opera miſericordiæ, ex obligatione exercenda ſunt à veræ pieta-

tatis sectatoribus ; quod indè manifestè colligere licet, quia ejusmodi opera exercere nolentibus, dicet in Judicio Christus : *Discedite à me maledicti* &c. *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, sitivi* &c. Matth. 28. v. 41. & 42. Multiplicia autem opera sunt misericordiæ, quæ indigentibus, à Fideli Christianè impendi possunt ; & recensentur à D. Aug. in Enchyr. C. 72. *Ad omnia* (verba sunt S. Patris) *quæ utili misericordia fiunt, valet, quod Dominus ait Lucæ 18. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Non solùm autem, qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestitum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro vel incluso visitationem, captivo redemptionem, debili subvectionem, tristi consolationem, non sano medicinam, erranti viam, deliberanti consilium, & qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat, & opus misericordiæ exercet*, ergo.

℟. *ad* 3. Nisì *Gramontius* præter declinationem à malo, & omissionem actûs peccaminosi, etiam motu aliquo voluntatis, positivè inclinetur in bonum, nullum ab eo opus meritorium exercetur ; ratio autem est cum Sancto Thom: Quia meritum est perfectio hominis merentis; atqui implicat habere perfectionem, sinè aliqua positiva realitate, ergo. Ut igitur declinatio à malo, sit pars virtutis, & meritum Theologicum, requiritur omnino motus aliquis, ac actus positivus voluntatis, quô nimirum quis velit declinare à malo. Tempus autem operum bonorum exercitium deposcens di-

diversum est; imò itaque, eo tempore exercere tenemur opera bona, quando id ad DEI gloriam promovendam, proprium, aut proximorum bonum spirituale, aut temporale procurandum, vel malum aliquod impediendum conducit. 2dò. Sunt quædam tempora, quæ ex præcepto exigunt operum bonorum executionem; qualia sunt: diebus festis, ac Dominicis Missam audire, Quadragesimæ diebus, quatuor temporum, aliísque ab Ecclesia præscriptis diebus jejunare; iterum: certo tempore sacramenta Pœnitentiæ, & Evcharistiæ ex obedientia frequentare; denique 3tiò certis itèm temporibus indigo, per opera misericordiæ subvenire, obligati sumus; præprimis: dum is gravi, & quasi extremâ indigentiâ laborat.

R. *ad* 4. Minimè recto dictamine agitur *Kilantius*, dum is peccatoribus benefacere recusat; ex quo patet: Neminem cariturum meritô & prœmiô, qui etiam sceleratis, ac improbis opera misericordiæ impendit. Ità enim verò convenit imitari DEum, qui etiam peccatoribus benefacit, quibus necessaria affatim suppeditat. Juxta id, quod legitur Jobi 12. *Abundant tabernacula prædonum, & audacter provocant DEum; cùm ipse dederit omnia in manibus eorum.* Et Matth. 5. *Qui solem suum oriri facit, super bonos & malos, & pluit super justos & injustos*, ergo. Deinde de hoc ipso habemus præceptum illud Prov. 25. & ad Rom. 12. *Si esuriverit inimicus tuus* (quantumvis peccator) *ciba illum, & si sitit, potum da illi.* Est tamen ordo aliquis, servan-

dus in exercendis operibus meritoriis, charitatis, & misericordiæ; sic nempe benefaciendum est quibusvis proximis, ut, cæteris paribus, præferantur ii, qui conjunctiores nobis sunt; juxta illa, quæ fusè pertractat Greg. de Valent. Q. 4. de Ord. Charit. Quod ipsum confirmari potest ex Apostolo 1. ad Tim. C. 5. dicente: *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit* &c. Et ex D. Ambros. L. 1. Offic. C. 30. ubi sic ait: *Est illa probanda liberalitas, ut proximos sanguinis tui non despicias, si egere cognoscas; meliùs est enim, ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est, ab aliis sumptum deposcere*; ergo.

R. ad 5. Jactantia in casu, quadruplicem involvit malitiam, signatè, & peculiariter in tribunali Pœnitentiæ explicandam. 1ma est: Ipsum peccatum jactantiæ, cujus malitia generaliter adversatur virtuti pœnitentiæ; nam hæc virtus inclinat potentiam, ad detestandum peccati malitiam, & jactantia ejusmodi detestationi opponitur, ergo generaliter adversatur virtuti Pœnitentiæ; quamvìs formaliter, tantùm opponatur virtuti humilitatis; tanquam species superbiæ in materia gravi; superbia enim existimationem, ac gloriam propriam anhelat; & idem aspirat jactantia, ergo. *2da.* Malitia est: complacentia, quam habuit de actibus sceleratis præteritis, cujus malitia est species luxuriæ opposita castitati. *3tia.* Malitia, est detractio, quia nominavit, & infamavit Personam, cum qua peccavit, & hæc opponitur virtuti justitiæ.

4ta. Denique malitia eſt, ſcandalum & occaſio peccandi, quam *Lucanius* præbuit audientibus ſua ſcelera; ſi tamen audientes fuerint ità probi, ut ex ſimili narratione, ſe non determinaverint ad peccandum; aut ità improbi, ut jam fuerint parati ad peccandum, independenter ab hac narratione, illius jactantia, non haberet malitiam ſcandali, quia non eſſet occaſio peccandi. Ità Caſtro Palao. P. 1. Tr. 6. Diſp. 6. Pun. 1. N. 4. Profectò: aliquot modis exerceri poteſt opus malum, & ſimul ſcandaloſum; *1mò.* Quando quis inducit alium ad peccatum, intendendo directè ipſius ruinam ſpiritualem; & hoc vocatur ſcandalum dœmoniorum, opponitúrque directè virtuti charitatis. *2dò.* Quando quis alium inducit ad peccatum propter utilitatem vel voluptatem ſibi indè eventuram, *v. g.* dum quis inducit alium ad jurandum falsè ex intentione lucrandi aliquam litem, ubi directè ipſam ruinam ſpiritualem proximi non intendit, vel ſi ipſum inducat ad furandum, ut rem furtô ablatam accipiat; vel denique dum quis ſinè intentione ruinæ proximi, aut propriæ utilitatis eſt occaſio ruinæ; *v. g.* cum quis jurat, blaſphemat, aut aliud peccatum committit, coram proximo, cujus ruinam ſpiritualem exinde prævidet, licèt illam directè non intendat; & hoc ſcandalum generale, reducitur ad illam peccati ſpeciem, ad quam ſcandalizans proximum inducit. Ità habet communis opinio Theologorum.

R. ad 6. Obligatus eſt Pater *Niralius*, ad vi-

tandum scandalum, & ruinam spiritualem prolium suarum, differre ingressum ad Religionem, ùt *v. g.* si illæ proles, in *sæculo* remanentes aliter in officio contineri non possent; alioquin lapsuræ facilè in peccata, Genitore ab illis discedente, & Religionem ingrediente; non tamen tenetur perpetuò à Religionis ingressu abstinere Pater, ùt rectè sentit D. Thom. hìc Art. 7. ad 4. Nam gravissimum foret detrimentum spirituale, quod in gratiam etiam prolium suarum, nemo subire tenetur. Et ità quidem scandalum infirmorum quandoque præpedire tenemur, cui peccato scandali, quamvìs etiam obnoxii esse possint Viri perfecti, ordinariè tamen, & ùt plurimùm, verum est: quod asserit D. Thomas Art. 5. & 6, nullum scandalum cadere in Viros perfectos; nam hi firmiter adhærent DEO. Ex quo sequitur: eos non facilè, atque adeò rarò dimoveri ab eo, & in peccatum, seu scandalum consentire. Juxta illud Psal. 124. *Qui confidit in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem.* Et Ps. 118. *Pax multa diligentibus Legem tuam, & non est illis scandalum.* Quemvis ad opera bona, actúsque meritorios, & ad operandum cum timore & tremore salutem nostram, dogmaticè, ac paræneticè, singulos hortatur D. August. in Ps. 50. hunc in modum: *Sit casus majorum, tremor minorum; & hinc attende securus, si non habes, unde merearis; sed respondes: Fortis timeo; nunquid tu fortior, quàm David; Nam etiam Viri sancti ex occulta carnis infirmitate peccant,* ergo.

CA-

CAPUT II.

Fidei veræ mos confirmatus in propugnanda materia meriti à Fideli.

Assero 1. OPera bona ſunt meritoria vitæ æternæ. *P. 1.* ex Matth. 5. *Gaudete, quoniam merces veſtra multa eſt in Cœlis.* Matth. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Matth. 21. *Omnis, qui reliquerit domum &c. vitam æternam poſſidebit;* atqui ex his textibus bonis operibus promittitur vita æterna ùt prœmium, ergo bona opera ſunt meritoria. *P. 2.* ex 2da ad Theſ. 1. *Ut digni habeamini Regno DEI, pro quo & patimini;* Iterum Sapient. 3. *DEus tentavit eos, & invenit dignos ſe;* Apocal. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.* Ex quibus omnibus, operum etiam dignitas exprimitur, ergo hæc ſunt etiam condigna in ordine ad prœmium æternum, ergo meritoria vitæ æternæ. *P. adhuc 3.* Dari vitam æternam non ex liberalitate, ſed ex dignitate, & merito operum; 1. ad Cor. 7. *Unusquisque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem;* Et ad Galat. 2. *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet.* Et ad Heb. 6. *Non enim injuſtus eſt DEus, ut obliviſcatur operis veſtri,* ergo prœmium vitæ æternæ datur juxta menſuram & proportionem bonorum operum, atque laboris, ergo hæc ſunt meritoria vitæ æternæ. Neque juxta Calvinum prœmium hoc detorqueri poteſt ad ſolam fidem, cùm expreſſis verbis opera in textibus nominentur,

quibus vita æterna ùt prœmium correſpondet, ergo. Denique, cùm Paulus dixiſſet: *Reddet unicuique ſecundùm opera ejus*, ad Rom. 2. v. 6. immediatè ſubdit: *Iis quidem, qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam*, ergo. Totum id breviter clareſcit ex hoc: quòd opera bona verè ſint juſta, non enim aliàs forent bona, ergo verè ſunt meritoria. Inſuper opera noſtra bona, non ſolùm ſunt meritoria vitæ æternæ, ſed etiam neceſſaria ad ſalutem & vitam æternam conſequendam. Quod patet ex illo, ad Hebr. 10. *Patientia vobis neceſſaria eſt, ut reportetis promiſſionem.* Iterum ex illo ad Rom. 8. *Si Spiritu, facta carnis mortificaveritis, vivetis*, ergo mortificatio concupiſcentiarum carnalium (quæ certè eſt opus bonum, ut patet ex Antitheſi verborum Apoſtoli, *ſi autem ſecundùm carnem vixeritis, moriemini*) eſt neceſſaria ad ſalutem. Et nónne Matth. 7. clarè dicitur: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine Domine, intrabit in Regnum Cœlorum*; ut appareat, non qui dicit, ſed qui facit voluntatem Domini, ingredi in januam Cœlorum; ergo opera bona & efficaciter operantur ſalutem, & neceſſaria ſunt ad vitam æternam. Denique ex traditione PP., S. Auguſt. Iren. Theodor. Greg. hanc deciſionem veram eſſe conſtat, vel ideo: quòd citati PP. teſtentur, doctrinam huic noſtræ contrariam, Patronos habuiſſe perditiſſimos hæreticos, quam etiam vocant hæreſim, ergo. Tandem apertè Clemens Alexandr. Lib. 5. Strom. ità

in-

inquit: Gratiâ ſalvamur, ſed non absque bonis operibus, ergo.

Sed contra: Pſalmiſta ait Pſal. 102. *Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus*, ergo vita æterna ex ſola datur miſericordia, & liberalitate, ergo hanc non meremur. Imò verò: Apoſt. ad Rom. 8. ſcribit: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*, ergo nequit condignè opus noſtrum eſſe meritorium vitæ æternæ. *Ità enim verò*: Illa corona miſericordiæ etiam eſt corona juſtitiæ, quæ ſic 2. ad Tim. 4. v. 8. appellatur: ergo etiam coronat in juſtitia, conſequenter dantur opera, quæ merentur coronam ex juſtitia, ergo. Ad alterum dico: verum id eſſe, ſi ipſam operis ſubſtantiam & durationem ſpectemus; ſi autem gratiam, & charitatem, quâ ornantur & dignificantur opera noſtra conſideremus, maxima inter ea & gloriam æternam eſt proportio, & condignitas, conſequenter eô modô ſunt condignæ paſſiones noſtræ hujus temporis, etiam ad vitam æternâm. Et nónne? licèt peccatum grave, momentaneum quid ſit, pœnam tamen æternam meretur; & ità contemptus ille proportionem culpæ facit cum pœna æterna; ergo etiam gratia DEI in homine juſto, operante juſtum, faciet proportionem operis cum vita æterna, ergo.

Sed contra: Si opera hominum poſſunt eſſe meritoria, & quidem condignè vitæ æternæ, opus non fuiſſet promiſſione DEI ad vitam æternam, ergo. Accedit: quòd opus debeat eſ-

ſe propriè noſtrum, nec alienum, nec debitum alteri, ut ſit meritorium prœmii; quod opera noſtra, tanquam debita DEO omnî titulô, & ità vix noſtra, non habent, ergo proportionata prœmio directè eſſe non poſſunt, nec vitæ æternæ meritoria. *Neutiquam ajo*: Quia licèt per gratiam DEI opera noſtra digna fiant, cùm tamen DEus non teneatur dare mercedem, nisì ex pacto illam ità operantibus promittat, indè opus erat, etiam operibus noſtris condignè ex gratia merentibus promiſſio divina. Per gratiam enim. DEI digna fiunt opera noſtra, adeoque ſuppoſita ceſſione & promiſſione, DEus ſibi invehit titulum promiſſionis & dignitatis illorum operum, ut hæc infallibiliter prœmiet. Certè: ſi non ſpectetur dignitas operum, non apparet, quomodo DEus retribuat unicuique ſecundùm opera ejus; præſertim: cùm DEus non ſit acceptator Perſonarum; neque apparet, quomodo prœmium bonorum operum, dicatur merces, & corona juſtitiæ, ſi datur tantùm ex liberalitate, ſive ex liberali merè promiſſione; quia tunc non dicetur dari merces. Neque aliquis adſtruere illud prudenter audet, quòd nempe illa nomina in Scriptura poſita: ly *merces*, *Corona Juſtitiæ*, *retributio* &c. impropriè tantùm ſumantur; foret quippe illud nimis arbitrarium, & ità pene temerarium.

Ad alterum, quod objicitur, dico: opera noſtra eſſe quidem DEI, cùm Is rerum omnium creatarum ſit Dominus, conſequenter eſſentialiter ſint ab alio, ceu creaturæ, quas DEus

no-

nobiscum operatur; propterea tamen ajo opera etiam esse nostra, cum liberè eadem facimus, & illorum nos DEus vi libertatis nobis concessæ Dominos constituit. Atque licèt plurimis titulis DEO sint debita, quia tamen liberè nobiscum pactum iniit, operibúsque nostris condignam promisit mercedem; ideo ea promissione & acceptatione facta, nostra etiam opera, NB. gratiâ formata, efficiuntur vera merita, consequenter actiones sunt vitæ æternæ meritoriæ. Profectò DEus nobiscum in hoc, ad humana similiter agit. Paciscitur imò de mercede operis, deinde factum opus examinat, & cùm invenerit dignum, dat mercedem; non igitur præcisè ideo dat, quia promisit, sed quia simul opus dignum invenit, ex qua dignitatis ratione suam promissionem svevit explere, ergo.

Sed contra: Christus meruit nobis vitam æternam, ergo hæc ex nostris operibus non datur, nec illa sunt meritoria vitæ æternæ. Et nónne ad Tit. 3. v. 4. dicit Paulus: *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos - - salvos nos fecit*, ergo. Insuper ad Ephes. 2. v. 8 & 9. habetur illud: *Gratiâ estis, salvati per fidem, & hoc non ex vobis; DEI enim donum est, non ex operibus, ut nè quis glorietur.* Denique cur Isaiæ 55. v. 1. dicitur: *Venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac*; Nisì quia vita æterna nobis datur absque ulla commutatione, consequenter & absque merito, ergo. *Ità verò*: Christus meruit nobis vitam æternam sic, ut

voluerit etiam nos operari, & per merita nostra bona eandem promereri; neque derogat aliquid meritum nostrum, Christi meritis; quin potiùs æstimationem illorum auget, indè maximè, quòd sicut palmes à vite, ità illa ex meritis Christi virtutem, atque efficaciam suam trahant. Textum Apostoli dudum explicatum ità declaro: *Non ex operibus justitiæ*, quæ sinè gratia fiunt, salvos nos fecit C. *Non ex operibus justitiæ*, quæ cum gratia fiunt salvos nos fecit, N. Hæc enim opera, quæ cum gratia fiunt, sunt opera bona justa, ergo exigentia præstationem debiti, unde unde liberalissimè impositi; ex quo: jam DEus non tantùm secundùm magnam misericordiam, sed etiam secundùm justitiam salvos nos facit. Quanquam Apostolus hìc loquatur de operibus Legis, & naturæ, quibus illi homines nimiùm fidebant; cùm per opera Legis, sinè gratia facta, vitam æternam non mereamur, ergo. Pariter: Textum subseq. Pauli explano; nempe non ex nobis, tanquam ex operibus naturæ salvari, neque ex his nos oportere gloriari; cùm enim opera nostra meritoria ex gratia procedere debeant, hanc autem non habeamus ex nobis ipsis, sed ex sola DEI liberalitate, indè sinè dubio non possumus gloriari ex nobis, quasi ex nobis, ergo. Tandem textus Isaiæ non officit veritati nostræ; siquidem per lac, & vinum, non intelligitur vita æterna, sed gratia præsentis temporis; jam autem gratiam primam dari gratìs, & non ex meritis nostris,

cer-

certum eſt, nec à nobis negatum, ergo. Quod ipſum *ly absque argento* S. Hieron. in Comment. ſignificare aſſerit. Et licèt Sectarius vel illud adhuc objiciat, quod Daniel. 9. v. 18. legimus: *Neque in juſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam; ſed in miſerationibus tuis multis*; nîl faciet contra nos, quaſi juſtitia noſtra ad merendum, ſuppoſitâ gratiâ prodeſſet nihil; ſiquidem hôc locô Daniel non prœmia, ſed liberationem populi Iſraëlitici de captivitate expetit; & bene tunc ad ſolam miſericordiam recurrit Propheta, atque ad eandem ſe revocat, quia hæc nullibi promiſſa eſt, ſicut promiſſa eſt vita æterna, ergo.

Sed contra: Et vel maximè, contra neceſſitatem operum bonorum ad ſalutem & vitam æternam. Opera bona ſolùm ſunt neceſſaria neceſſitate obſequii, & mandati DEO debiti, atque conſcientiæ tranquillandæ; ergo. Si enim neceſſaria forent ratione efficaciæ, ſic: ut merita ſint conditiones, ſinè quibus non obtineatur Cœlum, Chriſtus pro nobis non ſatisfeciſſet, cùm præter opus illius Redemptionis etiam opera noſtra exigerentur, quod dici non poteſt. Sunt ergo neceſſaria ſolùm ratione præſentiæ, ſic: ut ſinè illis, fides non eſſet viva, nec vera, quia fructus bonos non faceret, ergo. *Neutiquam ajo*: Quod exinde clariſſimè patet: ſi enim juxta Sectarios non poſſumus ſervare præcepta, quomodo erunt neceſſaria opera neceſſitate mandati, ſive præcepti? & ſi juxta adverſarios (quod immediatè refutabi-

mus)

mus) opera justorum omnia sunt peccata, quomodo tranquillabitur conscientia, ut illius tranquillandæ gratiâ, dicantur opera bona necessaria? ergo. Propterea tamen licèt efficacia sint opera nostra, in ordine ad salutem consequendam, in gratia facta, nihil derogatur satisfactioni Christi, cùm semper concedamus plenam præstitisse secundùm Scripturam satisfactionem, Redemptorem nostrum; imò abundanter satisfecisse; siquidem bona opera ex voluntate liberrima DEI ad hoc ordinata sunt, ut merita & passionem Christi per ea nobis applicemus, consequenter illi cooperemur, ut mortis ejus participes fiamus, & ità cum Christo vitam æternam promereamur; hinc per baptismum, pœnitentiam, aut alia bona opera, nihil defacto novi meremur, ac impetramus, quod non antea Christus meritus sit, & impetraverit; sed tantùm nobis defacto applicantur merita Christi, atque ità meritorum Ejus nos participes effecti meremur istud, quod Christus pridem meruit. Hinc: licèt potuerit Christus ità satisfacere, ut nihil relinqueret nobis, nec requireret à nobis; nè tamen otiosi essemus, nusquam aliter DEO Patri, sua merita obtulit, quàm cum hac conditione: ut si Illius merita nobis actu prodesse velimus, eorum nos per bona opera participes reddamus; atque ità etiam Pater æternus merita Christi acceptavit. Unde etiamsi merita Christi omnibus prosint *in actu primo*, non tamen omnibus prosunt *in actu secundo* defectu videlicet conditionis, quæ impleri

pleri debet, ut actu prosint. Atque istud est: quod Paulus ad Colofs. I. ait: *Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea*, ergo. Cæterum, si hôc argumentô Sectarius quidpiam efficere intendit, se oppugnat, & interficit, nam si Christus pro nobis satisfecit in sensu adversarii, ergo nec fides, nec præsentia bonorum operum erit necessaria, consequenter tota Sectariorum conclusio in nihilum redigetur. Denique: si fides ad salutem requiritur vera necessitate, & NB. sinè injuria meritorum Christi, cur amabò bona opera à necessitate debent excludi? Et si meritis Christi per solam fidem applicatis tribuitur remissio peccatorum, & salus æterna, baptismus in adultis nihil habebit, quod deleat; quæ omnia manifestè apparent minimè veritati congrua, ergo.

Asero 2dò. Opera justorum sic dantur perfectè bona, atque ità perfecta, ut peccata non sint, aut peccatis contaminata. *P. 1. ex Jobi 1. C. In his omnibus non peccavit Job labiis suis*; ergo sermones Jobi non fuerunt peccata. Accedit sensus *Petri 2da Epist: 1. Satagite, ut per bona opera vestra certam vestram vocationem & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando*, ergo facta, & ex vocatione opera exantlata, peccata non sunt. Iterum Matth: 6. legimus: *Si oculus tuus simplex* (nempe intentio bona) *fuerit, totum corpus tuum* (opus bonum) *lucidum* (id est: perfectum) *erit*; atqui tamen si opus & factum mortale foret, luci-

dum

dum non esset, ergo. Et nónne *Jacob: 3.* inquit: *in multis offendimus omnes*, ergo jamnon in omnibus, nec venialiter quidem, taceo mortaliter, ergo. Quin imò: Scriptura teste, opera bona DEO placent; sic enim *Malach: 3.* habetur: *Placebit DEO sacrificium Juda &c.* atqui peccata DEO non placent, ergo opera bona non sunt peccata. Certè *1ma Petri 2dò.* Istud exhortatione recipimus: *Offerentes spirituales hostias, acceptabiles DEO*; Et iterum *Sap: 9.* habetur: *Sapientia custodit me in potentia sua, & accepta erunt opera mea*, ergo. His consentit *Ambrosius Lib: de Apol. Dav. C. 6. Cavendum, inquiens, nè plura peccata sint, quàm opera virtutum*; ergo opera virtutum non sunt peccata; aliàs malè virtutum opera peccatis opposuisset. Accedit *Hieron: lib: 3. contra Pelag: & nos dicimus posse hominem non peccare, si velit.* P. 2dò. si omnia justorum opera sunt peccata, ergo & fides; atqui tamen secundùm adversarios fide homines justificantur, ergo solô peccatô justificantur. Imò sequeretur etiam ab omni opere bono, consequenter & ab ipsa fide esse abstinendum; cùm teneamur abstinere à peccato, vel si bona opera efficere tenemur, tenebimur peccare, quod certè absurdum est, ergo. Tandem si omnia opera sunt peccaminosa, & quidem ex se peccata mortalia, propter imperfectionem, quam semper habent admixtam, sequitur, DEum svasisse, & præcepisse peccata, quia svasit & præcepit opera bona; sequitur itèm: opera aliqua esse simul bona,

&

& non bona, utpote ex se peccata, & ùt supponitur etiam opera bona, quod se evertit, ergo.

Sed contra: Job dicitur non peccâsse in labiis, sed peccavit corde, ergo. Iterum DEO placent opera, ùt ex aliquibus Scripturæ locis allegatur, non ratione propriæ dignitatis, sed per indulgentiam, quâ DEus tegit & levat peccatorum fœditatem, ergo adhuc manent opera illa peccata. Denique clarus est *Ps.* 11. textus: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Quod de tota vita justorum intelligitur, ità, ut semper indigeant remissione, qua non indigerent, si non perpetuò peccarent, ergo. Et nûnquid *Eccles.* 7. apertè dicitur: *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*, ergo licèt videantur opera nostra esse justitiæ, coram DEO sunt immunda & peccaminosa, ergo. *Neutiquam ajo*; DEus enim dicit esse Virum recedentem à malo, & retinentem innocentiam; quod falsum foret, si corde peccâsset, ergo. Ad alterum dico nemo prudens judicare potest peccatum per indulgentiam fieri, hostiam placentem DEO, ergo frustra Calvinus clara Scripturæ verba eò intorquet; nunquam enim, quod ex intrinseca & essentiali perfectione odit DEus, ob extrinsecam quandam indulgentiam amare potest; ergo. Cæterum falsissima glossa Calvini est, quà, ex Psalmi textu, indigere remissione continua, operum omnium, ceu peccatorum asserit justos; si enim tota illorum

vita

vita peccatum est; quomodo salvabit Scripturam Calvinus, Psalmistæ ore, *Ps. 1.* ità loquentem: *Beatus Vir, qui non abiit in consilium impiorum, & in via peccatorum non stetit?* Quomodo & hæc Psalmi verba intelliget: *Perambulabam in innocentia cordis mei Ps. 100.* ergo. Denique Eccle. Textus solùm docet: Nullum esse justum, qui non aliquando peccet saltèm venialiter; non enim dicit semper, ergo. Hoc igitur fatendum: opera nostra esse quidem imperfecta, sed *negativè*, id est: non esse ità perfecta, ut absolutè perfectiora esse non possent; neutiquam tamen, semper fore imperfecta *positivè*. id est: contra Legem DEI obligantem peccaminosa, quia *v. g.* distractiones in oratione, nihil habent culpæ & peccati, quando NB. non admittuntur voluntariè ac liberè; ergo.

§ I.

Impugnatio Acatholici facta Fideli.

NOn dantur opera supererogatoria, cumprimis consilia Evangelica, Paupertas, Castitas, & Obedientia. *P. 1. Matth. 19. v. 24. Faciliùs est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in Regnum Cælorum*; ergo cùm impossibile sit diviti salvari, eô modô, quô nominatæ pecudi impossibile est foramen acûs transire, quod oppositum est divitiis, tanquam possibile aliquid, erit ad Regnum Cœlorum consequendum necessarium, consequenter non

erit tantùm opus consilii paupertas, ergo. *P. 2dò. Luc. 14. v. 33.* Verba sunt æternæ Veritatis: *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse Discipulus*, ergo iterum necessitatis est, ut quis sit Christi, debeat pauper esse, & renuntiare omnibus, consequenter iterum necessarium quid erit Paupertas, & non solùm consilium Evangelicum. *P. 3tiò.* DEus *Deut: 4.* jubet: ut nihil præceptis suis addatur, ergo neque debent adstrui aliqua consilia Evangelica, hoc enim esset præceptis Divinis aliquid superaddere, quin eadem immutare; ex præceptis nempe in consilia. *P. 4.* Quod est supererogatorium, hoc non debetur, neque ad alterum spectat jure certo, aliàs non supererogaretur, quia ergo omnia nostra, & quidquid boni habemus DEI est, nullum opus bonum supererogatorium est. *P. 5tò.* Jussio Divina manifestè ità habet: *Diliges Dominum DEum tuum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus*; ergo nihil ampliùs superest in homine, quod extra hoc Præceptum supererogatoriè, quasi non debitum aliquid agatur, & nihil restat, quod permodum operis ex consilio tantùm facti habeatur; quidquid enim agimus, corde, animâ, & viribus exercemus, ergo. *P. 6. Matth: 7. v. 14.* inquit Christus: *Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam*, & *pauci sunt, qui inveniunt eam*; igitur non est via adeò levis & facilis, ut etiam supererogatoriè, & ex consilio plùs homo possit præstare pro hac via, quàm præceptum sit;

 sunt

ſunt igitur opera ſupererogatoria futilis error Catholicorum ; & conſilia Evangelica figmentum ; ergo.

§ II.

Propugnatio Catholica Fidelis.

DAntur opera ſupererogatoria, ſive opera conſilii bona non præcepta, cumprimis conſilia Evangelica Paupertas, Caſtitas, & Obedientia. *P.* 1. *P.* Ab Exemplis: quia mox in Primitiva Eccleſia opera conſilii & ſupererogatoria *v. g.* Paupertatem, omnibus divenditis, quorum pretium ad pedes Apoſtolorum deferebant, plurimi coluerunt, quod Act: 4. patet ; ergo. Accedit : Tertulliani Authoritas in Apologe: Lib: 9. Plurimorum utriusque Sexûs continentiam teſtantis ; hæc omnia confirmat traditio PP. opera ſupererogatoria olim jam floruiſſe, atque laudabiliſſimè obſervata fuiſſe deſcribentium. Ità enim : Origen: in C. 5. ad Rom: Evſeb: Lib: 1. Demonſt: Evang: Cypr: de habi: Virg: Athan: in Lib: de hum: Verb: Baſil: lib: de Virgin: C. 30. Aug: de S. Virgin: C. 30 uno ore effantur. Et nônne : etiam in politica Republica heroica ſubinde opera, ad quæ nulla lex obligat, & quibus ſpecialia præmia decernuntur, ût coronæ vario nomine inſignitæ, atque ſimilia, frequentiùs videmus exhiberi? cur igitur in fidelium cœtu atque Eccleſiaſtica Romano-Catholica Republica veráque Chriſti Militum Eccleſia opera ſupererogatoria, atque heroica, quæ vim etiam Cœlo in-

inferant, nec ex præcepto, sed solùm consiliô declarata, frustranea, & nulla dicamus? ergo. P. *jam distinctiùs 2da P.* & 1mò quidem ex *illo Matth. 19. v. 23. Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes &c.* In hoc nullum est præceptum, ergo consilium, ergo expoliare se rebus propter Christum, atque ad Illius imitationem, erit opus supererogatorium, & quidem Evangelicæ paupertatis. Quòd autem præceptum istud non sit, contextus Evangelii innuit, cùm priùs necessariam ad salutem præceptorum observantiam adolescenti Salvator declaraverit, atque deinde illud asseruerit: Si vis *perfectus* esse: nempe si excellentiorem gradum optas in Cœlis, quô per observantiam præceptorum simpliciter pervenire potes, *vade, vende* &c. *da pauperibus.* Et nónne salvi esse possunt, etiam ii, qui multa largiente DEO possident, neque omnes etiam fideles omnia sua aut vendere tenentur, aut divendunt, dántque egenis, ergo falsum est illud verum præceptum esse; aliàs enim & omnes illud tenerentur observare, & multa possidentes salvi fieri nequirent, ergo. Neque obstat Sectarii effugium dicentis: Illa verba Evangelii fuisse præceptum, soli adolescenti datum; infero enim: ergo cæteris omnibus præceptum non erat, consequenter paupertas illa relicta est sub consilio; & unde amabò hoc probabit adversarius, quod tam temerariè asserit? si ex suo tantùm cerebro: dicam, illius ergo solùm figmentô eliminatur consilium Evangelicum,

& Paupertas Evangelica fit præceptum; quæ quidem ratio nihil veritati Catholicæ ex orquebit. Neque iterum obſtat Calviniſtæ Petri objectio per hæc verba: *Si vis perfectus eſſe*, innui perfectionem; hæc autem omnibus præcipiatur & mandetur juxta illud *Matth: 5. v. 48. Eſtote perfecti* &c. ergo paupertatem etiam mandari, & cadere ſub præceptum tanquam perfectionem in hoc relucentem: *vade, vende, quæ habes &c.* Non obſtat inquam: quia à Chriſto mandatur quidem perfectio, ſed NB. illa, quæ in plena mandatorum obſervatione conſiſtit, non autem quæ in obſervatione Conſiliorum eſt, aliàs iterum tenerentur omnes vendere omnia, & dare pauperibus, quod falſum eſt, ergo. Denique ſi adhuc hæreticus dicat: Obligari quidem hoc Evangelii dogmate omnes, ſed non pro quovis tempore, verùm ubi ſolùm implendi neceſſitas apparet, ùt eſt: extrema proximi indigentia; Reſpondeo: & hoc eſſe futile effugium, quia præceptum omnia vendendi, nec in extrema proximi neceſſitate obligat, ergo cùm, ex faſſione Sectarii, alio tempore non obligaret, nunquam obligaret, conſequenter præceptum non erit; ergo manet ſolùm hoc ipſum, quod Chriſtus dixit intra lineam puri conſilii, & operis ſupererogatorii, conſequenter Paupertas Evangelica non erit præcepta; ergo.

P. 2dò. Deciſionis ſecunda pars; ex Matth. 19. v. 1. ubi Evangelico adoleſcenti Chriſtus iterum obedientiæ virtutem innuit his verbis:

Ve-

Veni, & sequere me; sequi enim Christum, est illum imitari, qui factus est pro nobis obediens usque ad mortem, ergo est illi obedire, consequenter ly sequere me idem est, ac: esto obediens; atqui tamen hæc obedientia puri est consilii & non præcepti, siquidem immediatè ad hanc sequelam illud spectat: *Si vis perfectus esse* &c. ergo sicut primum, quod ad majorem perfectionem incitat, consilii est, sic & sequela & obedientia Evangelica, consilii est, & non præcepti, ergo. *P. 3tiò.* Decisionis tertia pars ex 1. ad Cor 7. v. 25. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do* &c. Et iterum v. 39. de vidua inquit: *Cui vult, nubat, tantùm in Domino; beatior autem erit, si sic permanserit*; atqui ex his castitas, & continentia consilium est, & non præceptum, ergo dantur consilia Evangelica, consequenter vera opera bona supererogatoria. Nec obstat: quod Sectarii hìc afferunt, nempe: citatis locis illis qui donum continentiæ habent, Christum imperare continentiam, nam: aliàs vel nullus Sectariorum habebit donum continentiæ, quod dedecorosum illis erit, cùm nemo ex his sibi imperatam velit à Christo castitatem, vel dabuntur adversarii, qui non possunt sinè gravi peccato matrimonio jungi, cùm tantùm his, qui donum continentiæ habent, præcipiatur continentia; quod iterum non admittent adversarii, ergo.

R. jam ad 1. N. C. Si enim hæc valet aliquid, nemo adversariorum, qui divites sunt,

intrabit in regnum Cœlorum, atque adeo tales ex præcepto pauperes fieri deberent, ut spem habeant salutis, quod certè non admittent. Deinde cum S. August. dico: etiam divitem, si DEI gratiâ adjutus, bene utatur divitiis salvari posse; sicut multi: v. g. Abraham, David, &c. divitiis abundantes salvati sunt. Solutionem hanc citatus Scripturæ locus innuit v. 26. ubi hæc dicuntur: *Apud homines hoc impossibile est, apud DEum autem omnia possibilia sunt*, ergo sicut DEO possibile est, tales dare gratias diviti, ut bene utatur divitiis, tanquam mediis ad finem ultimum consequendum, sic etiam possibile est, divitem salvari.

℞ *ad* 2. Christum ibi loqui de præparatione animi, ut nempe paratus sit quilibet, si opus fuerit omnia potiùs deserere propter Christum, quàm fidem illius negare, aut graviter DEum offendere, hoc autem nihil facit contra nos, ergo.

℞ *ad* 3. DEus jubet nihil addi præceptis suis, quod illa corrumpat C. quod illa perficiat N. Consilia autem perficiunt potiùs præcepta, quàm ut illa evertant. Faciliùs enim talis, qui facit id, ad quod non tenetur, faciet & illud, ad quod obligatur.

℞ *ad* 4. Licèt omnia sint DEI, non tamen omnia DEus exigit verè præcipiendo, vel prohibendo, ità ut obligemur, vel omnia omittere, vel agere ex præcepto, ergo.

R. *ad* 5. Enumerata in textu majoris energiæ gratiâ dicuntur; idem enim significant, ac verè,

verè, sincerè, & non fictè DEum diligere; neque per *ly ex toto corde* &c. præcipiuntur omnes actus cordis, & omnis possibilis actuum intensio, sed tantùm, ut nullam creaturam DEO præponamus, & æquemus, ergo remanent adhuc opera supererogatoria fidelibus implenda *v.g.* intensior amor, & dilectio DEI, ad quæ ex præcepto non obligamur, ergo.

℟. *ad 6.* N. C. Pessimè illatam, licèt enim spectatis solis naturæ viribus, difficilis sit via arcta ad Cœlum ducens, habenti tamen gratiam DEI & charitatem, ùt August. Lib. de Nat. & grat. Cap. 69. ait: *Omnia sunt facilia charitati*, facilè emetitur quis hanc viam. Et nónne Matth. 11. v. 30. dicit Christus: *Jugum meum suave est, & onus meum leve*; & Joañ. 5. v. 3. dicitur: *Mandata Ejus gravia non sunt*, ergo viam mandatorum DEI decurrere non est adeò difficile, ut etiam opera supererogatoria eliminentur.

DOGMA V AUGUSTINI DE EUCHARISTIA, EJUSQUE USU.

MEmor sum promissionis meæ; promiseram vobis sermonem, quô exponerem Mensæ

ſæ Dominicæ Sacramentum, quod modò etiam videtis; debetis ſcire, quid accepiſtis, quid accepturi eſtis, quid quotidie accipere debeatis. Panis ille, quem videtis in Altari, ſanctificatus per Verbum DEI, Corpus eſt Chriſti; Calix ille, imò, quod habet Calix, ſanctificatum per Verbum DEI, Sanguis eſt Chriſti. Faciat autem unusquisque, quod ſecundùm fidem ſuam piè credit eſſe faciendum; Neuter enim eorum exhonorat Corpus & Sanguinem Domini; - - Nam & ille honorando, non audet quotidie ſumere; & ille honorando, non audet ullo die prætermittere. Serm. 227. Tom. 5. ad Januar. Epiſt. 55. C. 3. N. 4. Tom. 2. *Mementote in quocunque ſexu ſitis, ſive mares, ſive fœminæ, Angelorum vitam ducere vos in terra. - -*

Co-

Cogitantes ergo gradus vestros, servantes & professiones vestras, accedite ad Carnem Domini, accedite ad Sanguinem Domini. Qui se scit aliter esse, non accedat. Serm. 132. C. 3. & 4. N. 3. & 4. Tom. 5. Videte fratres, Panem cœlestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata etsi sunt quotidiana, non sint mortifera. Antequam ad altare accedatis, attendite, quid dicatis: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Dimittis, dimittetur tibi. Securus accede: Panis est, non venenum. Tr. 26. in Joann. N. 11. Tom. 3.

PARAPHRASIS DOGMATIS.

IN præsenti certiores non reddit Aurelius de antiqua universalis Ecclesiæ consvetudine, quoad usum Mensæ Evcharisticæ; siquidem exponit, quod alicubi quotidie, alicubi certis dierum intervallis, à Sacerdotibus in Mensa Dominica præparabatur, & à Fi-

delibus de Mensâ Dominica sumebatur Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini. Neutri tamen ex sensu Augustini vituperandi veniunt, aut reprehendendi; utrique enim Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini honorabant. Frequentissimus autem usus Cibi Evcharistici, qui jam in antiquiore Ecclesia invaluerat, petitione illa orationis Dominicæ totus innitebatur: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, quam Augustinus, plurimique Patres interpretabantur de Pane Evcharistico. Cæterum clarè Aurelius indigitat; licèt ex Ecclesiastica disciplina, Christianorum nequissimos, propter publica, & gravissima crimina Canonicè notatos, ab accessu Evcharisticæ Mensæ prohiberi constet; attamen juxta antiquioris etiam Ecclesiæ disciplinam, atque consvetudinem, imperfectiores justos à frequentia Mensæ Evcharisticæ nequaquam fore removendos. Et quamvìs Serm. 351. C. 4. N 7. Tom. 5. ità loquatur Aurelius; *Postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet, participatione Corporis, & Sanguinis Domini, ut, qui separari à Regno Cœlorum timet per ultimam sententiam Summi Judicis, per Ecclesiasticam disciplinam à Sacramento Cœlestis Panis interim separetur*; ob hoc tamen non imperfectiores justos, sed criminosos peccatores, mortiferis culpis onustos, & per pœnitentiam coërcendos, à Sacramento excludit. Favet igitur S. Pater frequentiori cumprimis Communioni, modò pro Mensâ Evcharistica impudicitia præcipuè, aliáque crimina lavacro Pœnitentiæ emundentur. Sit cum Doctore dogmatico,

CAPUT I.

Fidelium mores informati in materia Evcharistiæ.

Dico 1. EVcharistia est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis,

panis & vini, à Christo Domino in ultima Cœna institutum, & ad spiritualem animæ nutritionem *imò*, ac per se ordinatum. Ejus materia remota sunt: Panis triticeus, seu azymus, seu fermentatus, quantum nempe attinet ad Sacramenti substantiam, & vinum de vite; cui ex præcepto modicissimum aquæ admisceri debet, & quidem tantum, quantum si admisceatur, ipsam vini substantiam non corrumperet, neque in ea vini usualis prædicatum tolleret. *Præ reliquis*, illud speciale habet Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod cætera tunc primùm, sanctificandi vim habent, dum quis illis utitur; at in hoc ipse Sanctitatis Author ante usum est. Unde S. August. super illa verba: *Adorate scabellum pedum Ejus, quoniam sanctum est*, ità commentatur; *Quæro, quid sit scabellum pedum Ejus? Et dicit mihi Scriptura: terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hìc, & invenio, quomodo sinè impietate adoretur terra, sinè impietate adoretur scabellum pedum Ejus? Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hìc ambulavit, & ipsam carnem manducandam nobis ad salutem dedit; nemo attamen illam carnem manducat, nisi priùs adoraverit. Inventum est, quomodo adoretur scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Hucusque Præsul dogmaticus in Psal. 98.

Dico 2. Ex vi verborum in Consecratione panis, ponitur solùm Corpus Christi *formaliter*, hujus

hujus verò Anima, Divinitas, aliáque ipsis unita habentur *per concomitantiam*; sic etiam in consecratione Calicis, ex vi verborum producitur *formaliter* Sanguis Christi, & cætera *concomitanter* in Evcharistiæ Sacramento coëxistunt, ùt habet Trid. Sess 13. C. 3.

Dico 3. Christus existit totus in toto, & totus in singulis partibus Hostiæ consecratæ, ità: ut nec quidem minutissima Hostiæ sive divisæ, sive conjunctæ, particula assignari possit, sub qua totus Christus substantialiter non contineretur. P. id rursum ex Trid. Sess. 13. C. 3. Can. 3. ubi id negantibus de partibus divisis, dicit anathema Concilium.

Dico 4. In Evcharistia remanent accidentia panis, & vini, sinè omni subjecto substantiali, sic: ut color, sapor, & alia, quæ in hoc sacratissimo Sacramento sensu percipimus; neque in Corpore Christi, tanquam subjecto recipiantur. Ità colligitur ex Concil. Constant. Sess. 8. contra Wikleffum id negantem. Ratio verò hujus Christiano-Catholici dogmatis est: quia accidentia, & species, in panis aut vini substantia remanere non possunt, cùm hæc per conversionem transubstantiativam plenè annihilentur; atqui neque in Christi corpore subjectari possunt, utpote, quod in Evcharistia est gloriosum, adeoque omnis passionis, & mutabilitatis expers, ergo.

Dico 5. Desinit Christus esse sub speciebus consecratis, quando illæ sic immutantur, ut desineret forma panis, & vini, si illic locò Christi

ſti adeſſet. Hinc in ſtomacho ſpeciebus Evchariſticis, per calorem naturalem deſtructis, præſentia Chriſti evaneſcit. Ut ſentiunt DD. Catholici. His principiis ità conſtitutis, ad reſolutiones practicas, propiùs accedamus.

§ I.

Quid ſentiendum de neceſſitate usûs Evchariſtiæ? & quæ diſpoſitio, ad eam requiratur à Fideli?

Difficultatum Theoretica Series.

1mò. NEmeſius ingenti cordis dolore afficitur, quòd ſeptennis filiolus illius, repentina morte fatis ceſſerit, neque ante obitum, Angelorum Cibo refici potuerit; ob quod dicit ſe meritò dubitare: utrum repente mortuus, ſalute æterna non exciderit? *Quær.* An Evchariſtiæ uſus ſit omnibus neceſſarius, neceſſitate medii? & an ſaltèm detur lex graviter præcipiens Evchariſtiæ uſum, ac ſumptionem? & quibus? 2dò. *Oſindus* dum in ſcamno Communicantium jam jam recepturus ſacram Buccellam flecteret, recordatus fuit peccati mortalis, quod in tribunali Pœnitentiæ exponere oblitus erat; nè itaque Evchariſtiam manducaret indignè, penes ſe flectenti, & pariter communicaturo Neo-Sacerdoti, crimen ſuum manifeſtat. *Quær.* Utrum neceſſaria fuerit, hæc peccati manifeſtatio? Et quid faciendum ſit Sacerdoti, ſi inchoatô Sacrô recordetur peccati mor-

mortalis? Itèm Laico: si à scamno Communicantium sinè nota infamiæ, aut aliorum scandalo recedere non possit? 3tò. *Mirandus* Sacerdoti, qui Evcharistiam Communicantibus distribuit, notus concubinarius, petit quoque ab eodem Sacerdote sibi Epulum Evcharistiæ porrigi; sed is, nè fortè gemmas, ante porcos projiciat, Hostiam minorem, non consecratam concubinario tradit. *Quær.* An licitè? Et utrum eadem die alicui permitti possit Evcharistiæ usus, quâ quis mortaliter peccare præsumit. 4tò. *Quadratus* cùm ab uxore sua pro debito Conjugali interpellaretur, illud reddere detrectat, causatus: quòd Christum sub speciebus Evcharisticis sumere intendat. *Quær* Qualis dispositio ex parte corporis requiratur à fideli, in ordine ad ritè, ac debitè sumendam Evcharistiam? & an cum periculo evomendi sacras species possit quis uti sacrô conviviô? 5tò. *Renatus* sumptâ pro priori offâ aliquâ, Communicantium scamno factus proximus, recordatur comesti boli, timore tamen infamiæ retrocedere ampliùs non audet; unde istud animi capit consilium, tam diu videlicet in ore, Hostiam consecratam se se retinere velle, donec hæc ipsa in modum salivæ deglutiri possit. *Quær.* Quid sentiendum de tali Evcharistiæ sumptione? & quandonam gratia producatur ab hoc Sacramento, qualésve effectus consequi possit fidelis ex digno Evcharistiæ usu? 6tò. *Burgerus* ex periculosa infirmitate graviter decumbens, sibi viaticum ministrari expetit, ob sicci-

ſiccitatem attamen gutturis Hoſtiam deglutire nequit; quare multis inſtat precibus apud Paſtorem ſuum, ut cochleâ argenteâ, Chriſti Sanguinem libare poſſit. *Quær.* An *Burgerus* obligetur more græcorum, viaticum ſumere ſub ſpeciebus vini, ſi Hoſtiæ uſus ipſi phyſicè, aut moralter reddatur impoſſibilis? & an æger intrà eundem morbum, pluries communicare poſſit non jejunus.

§ II.

Difficultatum practicæ Solutiones.

℟. *ad 1.* SEcurum oportere eſſe *Nemeſium* à ſcrupulo, quô angitur, quaſi ſeptenni filiolo, negata foret à DEO gloria Cœleſtis, ob nunquam ab eo receptam Evchariſtiam; adeoque uſus dictæ Evchariſtiæ, nec in re, nec in voto, propriè & ſtrictè tali, eſt neceſſarius neceſſitate medii, ad ſalutem conſequendam, neque reſpectu parvulorum, neque adultorum; quamvìs lex & præceptum divinum, graviter obligans, extet, accipiendi Evchariſtiam, tum in articulo mortis, permodum viatici, tum etiam ſæpiùs in vita, ùt docet Suar:, Vazqvez, Laym:, Fagundez, & alii communiter. Aſſertum hoc quoad 1mam ſui partem de fide eſt ex *Trid: Seſſ: 2. Can: 4. Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Evchariſtiæ Communionem, anathema ſit.* Non obſtante tamen hoc anathemate, cenſet P. Gobat Theol: experim: Tr. 4. N. 92. & 93. & cum eo Suarez, Caſtro-Palao, Tanner.

ner, De Rhodes To: 2. Theol. Schol: Disput: 1 De Evchar: Q. 3. Sect: 4. § 2. Omnem Sacramentalis Confessionis capacem juvenem, puerúmque, esse in extremis necessariò muniendum sacrô Viaticô; dicítque cit: Gobat: hanc sententiam esse magìs piam, & ubi commodè fieri potest, in usum redigendam. Nolim tamen, subnectit Gobat, damnare secus facientes. 2da Resolutionis pars, etiam certa est, & fidei proxima ex *Tridentino Decret: de pecc: Orig:* § 5. Universaliter definiente: baptizatos, vi baptismi, fieri DEO dilectos, hæredes DEI & Cohæredes Christi; ità, *ut nîl prorsus eos ab ingressu Cœli remoretur*; quod falsum esset: Si prætereà requireretur, realis sumptio Evcharistiæ. Sed neque in voto propriè & strictè tali, ad consequendam beatitudinem æternam necessaria est necessitate medii sumptio Evcharistiæ; quia imprimis parvuli non sunt capaces ejusmodi voti; & tandem generaliter loquendo, nîl ità necessarium est ad salutem, vel in re, vel in voto, quod non est medium, ordinatum immediatè ad justificationem, quæ est unica via ad salutem; atqui tale medium non est Evcharistia, quæ ipsam justificationem præsupponit, ergo. Dictum autem fuit notanter: *in voto propriè ac strictè dicto*; nam adultus saltèm implicitè habere debet votum aliquando communicandi; quod continetur in illo generali, servandi omnia præcepta; respectu parvulorum etiam datur quoddam votum impropriè dictum, nam secundùm S. Tho: Q. 37. a. 3.

Vo-

Votum communicandi includitur in Baptiſmo; ergo. 3tia Reſolutionis pars habetur ex illis Chriſti verbis *Joan: 6. Nisì manducaveritis Carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*; ubi ſub comminatione amittendæ vitæ æternæ, præcipitur uſus Evchariſtiæ; & Eccleſia tempore Paſchali, eundem præcipit ſub privatione ingreſſûs in Eccleſiam, & carentia ſepulturæ Eccleſiaſticæ; quia autem utraque pœna eſt ſententiæ ferendæ, ùt patet ex *Cap: omnis utriusque 12. de Pœnit: & Remiſſ:* ubi hæc verba reperiuntur: *Non communicans in Paſchate, ejiciatur ab ingreſſu Eccleſiæ, & privetur Eccleſiaſticâ ſepulturâ*; hæc ad uſum Evchariſtiæ graviter obligans lex eſt Divina quoad *ſubſtantiam* & humana Eccleſiaſtica, quoad *circumſtantiam*; cùm tempus Paſchale fidelibus ad communicandum determinet. Stringuntur autem hac legis obligatione 1mò: Omnes *fideles, & baptizati*, qui Cibum Evchariſticum à profano nôrunt diſcernere. 2dò. *Etiam juſti*, qui licèt ſemel in anno confiteri non teneantur, communicare tamen in Paſchate, non minùs, ac alii fideles baptizati obligantur. 3tiò. *Hæretici & excommunicati*; quibus incumbit priùs deteſtari hæreſim, tollere excommunicationem, & alia ejusmodi impedimenta, ut digni mereantur effici Corporis & Sanguinis Chriſti. 4tò. Denique, etiam fideles tempore interdicti, in Paſchate communicare tenentur; Ratio eſt: quia jure novo, per Cap: *Alma Mater*, deſignantur quatuor feſtivitates, in quibus lici-

tum est communicare fidelibus, quas inter etiam numeratur Pascha. A legis istius obligatione tamen immunes sunt, *imò*: Summus Pontifex, qui nonnisì vi quadam directiva ex congruentia ad usum Evcharistiæ in Paschate obligatur; quamvìs ad Viaticum sumendum jure divino sit adstrictus; uti & ad sæpius communicandum in vita; *2dò.* Perpetuò amentes & infantes, incapaces sunt simpliciter, usûs Evcharistiæ, qui tamen præcisè in amentiam inciderunt, his juxta statutum Sacrorum Canonum Evcharistia tradi potest, tanquam viaticum in articulo mortis, si modò aliàs Christianè & Catholicè vixerunt; his nihilominus danda non esset Evcharistia in amentia, si spes prudens foret, quòd ante mortem habituri adhuc sint lucidum intervallum, & recepturi rationis diluculum. *3tiò* Semi-Fatui, non tenentur quidem communicare in Paschate propter metum irreverentiæ, Cibo Evcharistico exhibendæ, Viaticô tamen à Curionibus suis refici debebunt. *4tò.* Ad Paschalem Communionem, extra mortis articulum non facilè permitti debent surdi, & muti, ac multò magìs, si simul cœci sint à nativitate; his namque arduum evadit, cibum profanum ritè discernere ab Evcharistia. *5tò.* Excludendi quoque sunt ab usu Evcharistiæ energumeni, quando hi reverenter Christum sub speciebus sumere nequeunt. Demum ob idem periculum irreverentiæ excusantur à communicando, qui continuâ laborant nauseâ ventriculi; & ulti-

mò

mò tandem, ad ſumendum in Paſchate Evchariſtiam non obligat Eccleſia peſtiferos, aut morbô infectivô laborantes, ſic ſaltèm, ut in propria Eccleſia communicare teneantur.

℞. *ad* 2. Si comodè *Oſindus*, in ſcamno Communicantium flectens, Sacerdoti jurisdictionato, peccatum ſuum manifeſtare potuiſſet, illud omnino apperire debuiſſet; quia verò Neo Myſtes in caſu ſupponitur adhuc jurisdictione caruiſſe, nec poterat, nec tenebatur crimen ſuum eidem explicare *Oſindus*. Sed obligabatur ad elic endam contritionem perfectam, ſicut ad eandem obligatur Sacerdos ad aram ſtans, & absque ſcandalo ac infamia recedere impotens, copiáque confitendi carens. Imò: ſi Sacerdos celebrans, peccati recordetur poſt conſecrationem, non tenetur confiteri, etiamſi ſinè nota id præſtare poſſet, ſed tantùm conteri; quod Tanner, Henriquez, & alii poſt Navarrum, putant etiam locum habere inchoata oblatione, & poſt introitum; licèt Suarez, & alii communiùs in hoc diſſentiant. Ex quorum ſententia non eximitur Sacerdos ab obligatione confitendi, ſi in Sacro ſolenni alter Sacerdos, cui confiteri poſſit, fungatur officio Diaconi, tunc enim ſinè infamiæ nota, velut aliud quid dicendo, poteſt confiteri; præcipuè: ſi tunc chorus muſicus inſtrumentis ſuis impedit, quò minùs colloquentium ſermo audiri valeat. Denique generaliter, quotiescunque Comunio, aut Miſſæ celebratio, ſinè infamiæ nota, aut proximi ſcandalo omitti non poteſt, poterit, tum Sa-

cerdos ad eam constitutus, quàm Laicus in scamno communicantium flectens, & peccati tunc imò occurrentis conscius, de illo perfectam elicere contritionem, ac subinde occasione data illud confiteri; quod celebrantem attinet, illud adhuc specialiter innuere oportet; Tridentinum nempe præcipere, ut Sacerdos in casu necessitatis, cum peccato mortali celebrans, illud *quamprimum* Sacerdoti exponere conetur; circa quod mandatum Diana Parte 2 de Celebr. Missæ Resol. 60. illud annotat: non esse hoc ipsum ità rigorosè accipiendum, ut Sacerdos statim, absolutô Sacrô teneatur quærere Confessarium, sed *moraliter* attentis circumstantiis; hinc dicit cit. Author, sufficere: si confessio fiat intra triduum, etiam respectu ejus, qui alioquin statim habet copiam confessarii; modò non differatur peccati expiatio ad tempus aliquod cumprimis longius, ùt innotescit ex Propos. 39. ab Alexandro VII. damnata; *Illa particula, quamprimum, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.*

℞. *ad 3.* Meritò reprobandus est actus *Mirandi* in casu positus, quo is Evcharistiæ locò, minorem Hostiam non consecratam concubinario sumendam tradidit. Ratio est: quia gravissimum peccatum est, præbere alteri occasionem exercendæ idololatriæ, atqui talem occasionem præbuit *Mirandus*, dum Hostiam non consecratam concubinario porrexit, eámque etiam ab aliis adorandam proposuit, ergo. Verum quidem est: publico peccatori negandum fore usum Evcharistiæ, utì & privato, NB. eandem

Ev-

Evchariſtiam publicè non petenti ; ſimulare tamen Hoſtiæ conſecrationem, ſemper ab intrinſeco malum, & omni jure prohibitum eſt. Nihilominus verus Evchariſtiæ uſus, etiam illi permitti poteſt, qui die illa, qua communicaturus eſt, in peccatum mortale prolabi, & conſentire non verebatur; unde pollutio mortaliter peccaminoſa (idem eſt de fornicatione, & quolibet alio peccato carnis, aut quocunque alio) ſi per confeſſionem deleta ſit, non impedit abſolutè Communionem eodem die. Deducitur id ex Trid. Seſſ. 14. C. 7. ubi nulla agnoſcitur indignitas in Communicante, nisì conſcientia, peccati mortalis nondum expiati. Cæterum gravior cauſa requiritur, ut quis paulò poſt peccatum mortale comunicet, quàm poſt pollutionem involuntariam; atque ſecluſa aliquali neceſſitate, præſtaret omnino eadem die penitùs abſtinere ab uſu Evchariſtiæ.

℟ *ad 4.* Quamvìs magna ſit convenientia, ut conjuges nocte Comunionem antecedenteab uſu matrimonii ſe ſe cohibeant, *Quadratus* tamen debitum conjugale uxori petenti de ſe reddere tenebatur, licèt eadem die Evchariſtiam ſumere intendat; Ratio eſt · quia nullô id præceptô prohibetur, ſed præcisè tanquam aliquid conveniens ſvadetur, ut videlicet die Comunionis uſu matrimonii ſibi interdicant; hinc negandum non eſt tale debitum, ob prætextum Comunionis, vel maximè, ſi periculum ſit iminutionis affectûs conjugalis, aut periculum pollutionis in comparte; neque enim diſpoſitio ex parte corporis ad ritè

& debitè ſumendam Evchariſtiam per ſe loquendo alia requiritur, quàm ut quis duntaxat ſit jejunus, jejuniô naturali à media nocte diei præcedentis, usque ad ipſam Evchariſtiæ ſumptionem; nec tamen opus eſt, ut quis longo tempore ità jejunus maneat ante uſum Panis Angelici; hinc ſi quis in Vigilia Nativitatis comederet, aut biberet usque prope duodecimam, poſſet horâ duodecimâ ſtatim inchoare Sacrum, illúdque celebrare, etiam ſinè ſomno prævio. Solvitur autem jejunium naturale, ſi quid ab extrinſeco permodum cibi, potûs, aut medicinæ introſumatur. In ſequentibus attamen ejus modi jejunium non cenſetur ſolvi. *1mò.* Si quid in os ſumatur, modò non deglutiatur; vel per modum ſalivæ in ventriculum trajiciatur, ſi ab illa diſcerni non poſſit. *2dò.* Dum aliquid ab intrinſeco proveniens, demittitur in ſtomachum, ùt *v. g.* pituita, aut ſanguis è capite defluens &c. His accenſeri poſſunt reliquiæ ciborum diei præcedentis dentibus adhætentes, & ſi illæ ex induſtria deglutirentur. *3tiò.* Si quid extrinſecùs quidem, non tamen per os, ſed per nares attrahatur, ac trajiciatur in ſtomachum, ùt habet Diana, Facundez. *4tò.* Si quid ſumatur permodum reſpirationis, ùt ſi contingat, reſpirando muſcam, aut ſimile aliquid cum aëre attractum deglutire. *5tò.* Tabaca per nares ſumpta etiam jejunium non ſolvit, licèt aliquid in ſtomachum demittatur; idem eſt de fumo, aut foliis Tabacæ maſticatis, ordinariè enim nîl deſcendit in ſtomachum, vel certè modicum ali-

quid

quid per modum reſpirationis, aut ſalivæ, non autem per modum cibi. *6tò.* Denique absque violatione jejunii naturalis ſumi poteſt charta, fruſtulum ligni, raſura unguium, globulus plumbeus, numerus aureus, & alia ſimilia; quia hæc ex natura ſua non ſunt cibus uſualis, neque medicina. Et hæc diſpoſitio jejunii naturalis ex parte corporis ordinariè ab Eccleſia requiritur. Licitum tamen eſt in certis caſibus, etiam à non jejuno ſumi Evchariſtiam; communiter aſſignantur quinque caſus, in quibus licet. Sic *imò* dum inſtante periculo mortis, ſive ex morbo, ſive ex Judicis ſententia dandum eſt Viaticum, nec commodè tempus expectari poteſt, quo homo talis jejunus ſit; Tunc licitè, non jejuno, dabitur Sacramentum. Atque in hoc caſu ſcrupulosè procedendum non eſt, nec ideo, ægro aliqua incommoditas adferenda, vel intempeſta nocte, aut non opportuno tempore advocandus Sacerdos. *2dò.* Si nemo adſit jejunus, & ſumenda tamen ad vitandam profanationem, aut gravem irreverentiam, ſinè mora veniat Hoſtia; ùt fieret: ſi periculum foret, nè Hoſtiæ conſecratæ in manus infidelium hoſtium deveniant; etiam hoc caſu eas abſumere poterit non jejunus. *3tiò.* Si inchoatum ſit Sacrum à celebrante non jejuno, qui absque ſcandalo, aut infamiæ nota ab Ara recedere nequit; idem dicendum de Laico, qui ob easdem rationes à ſcamno Communicantium abire non poteſt. *4tò.* Dum ſupplenda eſt Miſſa deficiente poſt conſecrationem celebrante, ubi non invenitur

Sacerdos jejunus, qui perficiat ſacrificium, poterit illud perfici à non jejuno. Similiter Sacerdos, qui per caſum vini locò aquam infudit in calicem, dum illud in ſumptione obſervat, non debet hoc, quod ſumpſit in os, reſpuere, vel in calicem rejicere, ùt volunt aliqui; ſed debet illud deglutire, & vinum calici impoſitum de novo conſecrare, ac poſtea ſumere, licèt non jejunus. *5tò.* Si Sacerdos poſt ſumptam ablutionem, reperiat ſupra Patenam, vel Corporale aliquas particulas, ſive de majori, ſive de minoribus populo diſtributis Hoſtiis, ſi illæ fuerint ab ipſo Sacerdote in eodem Sacrificio conſecratæ, poterit eas abſumere non jejunus. Quod etiam verum eſt de integris Hoſtiis, quæ com̃odè nequeunt aſſervari. Dixi, ſi fuerint ab ipſo Sacerdote conſecratæ; nam ſi ab alio conſecratæ fuerunt, vel certè non in eodem Sacrificio, non poteſt eas celebrans abſumere poſt ablutionem; Sacerdos tamen, qui Ciborium purificat, & quasdam adhuc ibidem relictas Particulas conſpicit, poteſt infusô vinô ad hærentes Ciborio particulas unà cum vino abſumere. Addendum hìc: quòd ſi quis ejusmodi laboraret nauſeâ, ut periculum foret evomendi S. ſpecies, talis abſtinere teneretur à Com̃unione, etiam in articulo mortis. Ità communior Theologorum ſenſus.

℟. *ad 5.* Non ſufficienti indagine conceptum fuerat animi conſilium *Renati*, qui eousque Hoſtiam conſecratam ore retinuit, donec eadem permodum ſalivæ deglutiri potuiſſet. Ratio reſolutionis eſt ex P. Gobat Tr. 4. N. 326. Et qui-

quidem per dilemma posita : aut enim tales sunt circumstantiæ, ut *Renatus* non jejunus obligetur recedere ab Ara, post recordationem esûs, aut tales, ut non obligetur. Si secundum: certum est licere integram Hostiam deglutire, hoc quippe permittitur ab Ecclesia. Si primum: cùm aliunde jam commissum fuerit peccatum per sumptionem Evcharistiæ in os, & non possit sinè periculo novæ irreverentiæ tam diu in ore retineri species, donec eô modô alteretur, ut sub his Christus esse desinat, elicere oportebit actum contritionis, priusquam Hostiam demittat in stomachum; illô quippe elicitô, licitus quoque evadet usus Evcharistiæ. Qui Augustissimo hoc Evcharistiæ Sacramentô utuntur, sinè peccato mortali, cognito ùt tali, præter gratiæ sanctificantis augmentum, consequuntur etiam ex opere operato remissionem quarundam culparum venialium; eruitur id ex Trid. Sess. 13. C. 2. Itèm remittitur eis saltèm indirectè aliqua pœna temporalis, quæ videlicet culpis venialibus, per idem Sacramentum, directè remissis correspondet. Quodsi quis in mortali invincibiliter ignorato existens, aut nesciens statum gratiæ prærequiri, vel putans se esse contritum, cùm non sit, inculpabiliter & bona fide accedat cum attritione, consequitur im̃ediatè, vi Sacramenti hujus gratiam primam, ùt affirmat D. Thom: Art. 3. hìc, itèm Sotus, Paludanus apud Suarez contra alios. Gratia autem, vel gratiæ augmentum, intuitu SS. Evcharistiæ Sacramenti juxta Cajet. Suarez, &

 alios,

alios, producitur successivè, quamdiu durat sumptio, vel etiam quamdiu species sunt in stomacho; quæ sententia magìs facit ad excitandam devotionem fidelium; licèt affirment plurimi gratiam tunc solùm reddi ex opere operantis; alioquin enim sequeretur: quòd qui majorem Hostiam sumeret, aut plùs specierum vini, vel stomachum haberet debiliorem, majorem gratiam cæteris paribus acciperet ex opere operato, quod iisdem Authoribus non satìs probatum videtur, ergo.

R. *ad 6.* Nec poterat, nec tenebatur *Burgerus* sumere species vini, si Christus sub accidentibus panis, ob gutturis siccitatem eidem porrigi nequibat. Ità habet communis sensus; ratio est: quia sumptio Evcharistiæ sub speciebus vini extra sacrificium est prohibita, ergo. Quicunque tamen ægrotans lethaliter, cibum Evcharisticum sumere reverenter potest, ad Illius usum sub gravi obligatione præcepti Divini tenetur in articulo mortis; imò etiam non jejunus intrà eundem morbum sæpiùs DEum Evcharisticum accipere potest; ùt ait Suarez Disp: 65. Sect: 5. & alii contra plures. P. verò assertum, tum ex Concil: Constantien: Sess. 12. ubi illimitatè permittitur sumptio Evchariſtiæ, à non jejunis in casu infirmitatis; tum ex quotidiano usu, & consvetudine Ecclesiæ, quæ optima est legum suarum interpres. Notandum tamen venit: id neutiquam licere; nisì perdurante periculo, & nonnisì interpositô octo, aut saltèm sex dierum inter-

val-

vallô; quanquam aliqui putent, ex justa causa, *v. g.* ob majorem ægri consolationem, & devotionem, id fieri posse etiam sequenti die, non tamen quotidie, in morbo diuturniori, quamvìs ille morbus, indies mortem minaretur. De quo ampliùs videri potest P. Laym:

§ III.

Quomodo? Quando? & Quô numerô communicandum veniat Fideli?

Difficultatum Theoretica Series.

1mò. T*Arantus* Laicus, Paschali tempore ex speciali devotione postulat à Sacerdote Apostata, ut sub duplici specie sumere queat Evcharistiam. *Quær:* An graviter delinqvant illi Catholici, qui tacitè, vel expresſè sentiunt, vel dicunt, Synodum Tridentinam Seſſ: 21. Can: 2. Satiùs acturam fuisse, si Laicis concessus foret usus Calicis? & an ex 1ma ablutione iisdem alius Sacerdos communicantibus, nequeat porrigere vinum? *2dò. Arandus* submetuens, nè suo Ordinario, tribunalis Pœnitentiæ Arbitro, Paschali tempore destituatur, ex cujus manibus etiam Evcharistiam aliàs recipere solet, Parochum proprium accedit, & ab eo facultatem expetit, ut Communionem Paschalem anticipare, eámque à Confessario suo accipere valeat? *Quær:* Quomodo sumenda sit Paschalis Communio? & utrum illius anticipatio, vel dilatio ultra tempus consvetum,

ab

ab Ecclesia sit permissa? & quid si tempore Paschali aliquis, aut non communicâsset, aut certè sacrilegè communicâsset? *3tiò. Vinandus* natione Moravus Dominica 1ma Quadragesimæ ad Aram S. Joannis Nepomuceni, Pragæ communicat, & indè in Patriam suam redux, nihil ampliùs de Paschali Communione cogitat. *Quær*: Quando sumenda sit Evcharistia, ut impleatur Præceptum Ecclesiæ de Communione Paschali? & ubi in Paschate licitus sit usus Evcharistiæ? *4tò. Wolfredus* Sacerdos ægrotus, posteaquam Paschali tempore Missæ Sacrificium celebrare nequit, Evcharistiam Laicorum more, à Confessario Ordinis mendicantium Religioso suscipit. *Quær*: An verè *Wolfredus* communicaverit Paschatis tempore? & an satisfiat Præcepto communicandi in Paschate, si quis Evcharistiam sumat in Ecclesia Cathedrali? *5tò. Alaricus* Communionem Paschalem differt, usque ad Dominicam in Albis; ea verò die Christum Evcharisticum sumere volens, & siti pressus in actuali mentis evagatione, ac distractione, aliquot aquæ guttas in stomachum demittit. *Quær*: An *Alaricus* etiam non jejunus die hac sumere Evcharistiam possit, ut satisfaciat Præcepto de Communione Paschali? & quoties? sive quô numerô aliquis teneatur cibô Evcharisticô uti ex præcepto? *6tò. Bellindus* Presbyter Græcus, Paschatis tempore, cum cæteris Sacerdotibus Latinis, die Cœnæ Domini Laicorum more Evcharistiam sumit, neque ampliùs Græcorum ritu

tii Sacrificium celebrat. *Quart:* An satisfecerit Præcepto de Communione Paschali? Et an Sacerdotes Græci subinde in Pane Azymo, Latini verò in fermentato, habere possint usum Evcharistiæ ?

§ IV.

Difficultatum practicæ Solutiones.

R. ad 1. SEcluso casu invincibilis ignorantiæ, & bonæ fidei, peccavit *Tarantus*, peccatô contra obedientiam nolens se conformare Legi Ecclesiæ, sancienti: nè Laicis absque speciali Privilegio concedatur usus Calicis. Itèm deliquit, aliô adhuc peccatô inobedientiæ, quòd Evcharistiam in Paschate de proprii Sacerdotis, seu Parochi manibus non receperit. Denique & peccatum hæreseos commisisse videtur, pertinaciter communi Sectariorum errori adhærens, non posse videlicet, quenquam pervenire ad salutem, nisì sub duplici specie, utatur Evcharistiâ. Ex quo dilucidè consequitur; Quòd graviter omnino delinquant illi Catholici, qui tacitè vel apertè sentiunt, & dicunt: Synodum Tridentinam Sess. 21. Can: 2. Satiùs acturam fuisse, si usum Calicis permisisset Laicis. Ratio est: quia velle damnare Concilium Oecumenicum, in Spiritu Sancto congregatum alicujus imprudentiæ, vel impietatis, gravis est temeritas, & mortalis arrogantia; atqui utriusque illius imperfectionis, Synodum Tridentinam arguunt, frigidi illi Catholici, ergo. Scire igitur illos perquam Scio-

los

los oportet multis gravissimis rationibus, & eruditorum, usúque peritorum suffragiis, inductam fuisse Ecclesiam, ut illius Voluntate ab usu calicis arcerentur Laici, etiam tempore Paschali; quæ inter vel illud adduxisse sufficiat, quod Concilium Constantiense Sess: 13. habet: Nè videlicet Christi Fideles, altè imbibant errorem aliorum, censentium, & docentium, non totum & integrum Christum, sed duntaxat dimidiatum, contineri sub singulis speciebus. Nec obstat: quòd multi è Sectariis, transirent ad castra Catholicorum, si propinaretur eis Calix; hoc enim frivolum est velamen pertinaciæ hæreticæ, sicut si diceret aliquis: Si Christus Dominus tolleret Præceptum Confessionis auricularis; si Papa leges de jejunio, de bonis Ecclesiasticis restituendis expungeret; si solutionem vinculi matrimonialis liberam relinqueret lascivis hæreticis, multorum omnino speranda esset conversio; nónne larva hæc est pietatis? Jam autem quia *malitiæ* similium *hominum indulgendum non est*: *Cap: plerumque de Rescript:* Ideo nec Christus, nec Christi Vicarius, debet ob superbiam & superbam pertinaciam leges suas imutare. Sicut ergo impiè ageret Sacerdos, qui sub duplici specie, fidelibus etiam in Paschate præberet Evcharistiam, ità à peccato excusandus, non foret ille, qui ex 1ma Calicis ablutione vinum libandum porrigeret Communicantibus. Ità P. Theod: Morettus, in lit: Wratislaviâ olim datis 13. Aug: Aô. 1664. ad P. Gobat; qui easdem

dem deſcribit Tract: 3. N. 841 Ob hanc cauſam Cardinal: de Lugo in Reſp: Moral: Lib: 1. D. 18 ex inſtituto contendit; non eſſe facilè introducendum, vel admittendum uſum quorundam certæ Diœceſeos Parochorum, qui coacti diebus feſtis ſacrum facere in duobus locis, Calicem 1mi ſacri eluebant vinô, totúmque dabant ebibendum Laicis ſub illo communicantibus; putátque hic Cardinalis eos adversùs Concilium Conſtantienſe, & Tridentinum egiſſe.

R. *ad* 2. *Arandus* petivit facultatem à Parocho, quam ipſe eidem concedere non potuit, ut videlicet anticiparet Communionem Paſchalem eo duntaxat ex motivo, ut eandem è manibus Confeſſarii ſui recipere valeret. Itá P. Suarez hìc Sect: 2. & Lugo D. 16. N. 81. Ratio eſt: quia licèt Confeſſarius juſtis de cauſis, poſſit permittere pœnitenti, ut differat Communionem ultra tempus Paſchale, ùt habetur ex *C. omnes utriusque Sexûs*: ubi SS. Synodus ſequentia ponit: *nisì fortè de proprii Sacerdotis Conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus, ab hujusmodi ſuſceptione duxerit abſtinendum.* Nullibi tamen conceditur Parocho poteſtas diſpenſandi, quoad anticipationem Communionis Paſchalis; ſed ſi legitimum impedimentum, prudenter prævideatur, quòd videlicet aliquis, tempore Paſchali, præcepto Eccleſiæ ſatisfacere non poterit, ille omnino tenebitur ad Communionem, & uſum Evchariſtiæ anticipandum; ùt bene tradit Suarez hìc

Diſp.

Diſp: 70 Sect: 2. & alii. Ratio eſt: Quia præceptum communicandi, eſt virtualiter duplex, nempe: Communicandi ſemel in anno, & communicandi in Paſchate; poſterioris obligationem prævenire nemo tenetur, ſicut nemo obligatur, ad hodie audiendum Sacrum, ſi craſtinô feſtô illud audiendi opportuna non fuerit occaſio; ſicut autem die feſtivo, qui prævidet ſe futurum impeditum, horis ſecuturis ab audiendo Sacro, tenetur quacunque aliâ horâ obligationem hanc prævenire, ità etiam, qui prudenter exiſtimat ſe reſiduo anni tempore habiturum impedimentum ſatisfaciendi præcepto de Communione annuâ, obligatur graviter, ut Legi huic per anticipationem morem gerere ſatagat tunc, cum commodè poteſt. Aliud tamen ſentiendum foret, ſi jam adeſſet tempus Paſchale, & aliquis prævideret ſe impoſterum non habiturum occaſionem, communicandi in Paſchate, nisì modò legi Eccleſiæ obediat; tunc tenetur præceptum mox adimplere, ex ſententia P. Caſtro-Palao Tr. 21. Diſp: Uni: P. 15. N. 8. Ratio eſt: quia quilibet præceptum tunc adimplere tenetur, cum illud commodè adimplere poteſt; atqui poteſt adimpleri, ſi quis illi ſatisfaciat citiùs, antequam occurrat impedimentum, ergo. Similiter, qui ob impedimentum, quod prævidet futurum Paſchali tempore anticiparet Communionem annuam, ſi in Paſchate illud impedimentum ceſſet, adhuc tunc tenetur communicare; nam Legis executio illi pro eo tempo-

re

re non erat impossibilis. Sic quoque: qui Paschali tempore, S. Synaxim, sumere neglexit, aut de proprii Sacerdotis manibus, illam sacrilegè accepit, terminato etiam legali tempore, ad communicandum obligatur. Ità resolvit Suarez cit: apud Laym: Tr. 4. C. 8. N. 8. Quia imprimis juxta propositionem ab Innoc. XI. A. 1679. 2. Martii damnatam: Præcepto Communionis annuæ, non satisfit per sacrilegam Domini manducationem; deinde etiam ratio est: quia tametsi elapsum sit tempus Paschale, tamen quivis Christianus; semel in anno dignè Eucharistiam sumere tenetur, ergo eandem suscipere obligatur, qui hactenus id præstare aut neglexit, aut certè in statu disgratiæ Authorem gratiæ manducare non erubuit. Qui tamen etiam sacrilegè, è manibus proprii Parochi, Paschali tempore comunicavit, potest deinde à quovis Sacerdote sacrô Conviviô refici, modò dignè Sancta Sanctorum tractet; quod ut debitè præstare queat, ante susceptionem Eucharistiæ, procurandus est ab eo status Gratiæ; requiritur pariter intentio habitualis, vel saltèm interpretativa suscipiendi Sacramentum Eucharistiæ, in qua intentione, etiam virtualiter includitur fides & spes, ùt ait Amicus Disp. 4. Num 97.; quamvìs utilissimum sit in praxi, ante usum Eucharistiæ signatè ac explicitè elicere actum fidei & spei. Ad extremum notandum venit: Quòd ille præcepto communicandi in Paschate satisfaciat, qui S. Synaxim cum peccato veniali, nunquam in Confessione explicato suscipit, vel

R qui

qui Evchariſtiâ utitur, cum affectu poſitivo ad venialia, aut ſi etiam, ipſa panis Angelici ſuſceptio, venialiter peccaminoſa foret, ùt docet Tolet. Suarez, aliíque, quos citat. Fagund Lib. 3. C. 8. N. 6. imò probabiliter contra La Croix affirmat P. Viva Prop. 14. ab Alexand. VII. prohibita, etiam eum ſatisfacere Præcepto, de Communicando in Paſchate, qui peccatum mortale invincibiliter oblitus eſt exponere in Tribunali Pœnitentiæ, & tamen Evchariſtiam de manibus proprii Sacerdotis, Paſchali tempore accepit. Ratio autem eſt: quia ille omnino plenè ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, qui facit omnia, quæ Eccleſia facienda præſcribit, atqui omnia iſta præſtat talis, de quo præſens procedit caſus; ſuſcipit enim Evchariſtiam in Paſchate, in Parochia propria, de manibus proprii Sacerdotis, & absque noxa, ſeu conſcientia peccati gravis, ergo.

R. *ad* 3. Obligationi ſuæ de communicando in Paſchate ſatisfecit *Vinandus*, qui Dominica prima Quadrageſimæ ad Aram S. Joannis Nepomuceni comunicavit, etſi poſtea ad Moraviam redux, de Communione Paſchali, nîl ampliùs cogitaverit. Ità Henriquez, Sotus & alii, quos hìc Lib. 1. C. 5. N. 1. citat Fagundez. Ratio eſt: Quia advenæ, peregrini, & vagabundi non obligantur ſuſcipere Evchariſtiam de manibus proprii Parochi; unde illis non incumbit aliud, quàm, ut in Paſchate communicent; atqui Dominica prima Quadrageſimæ, jam eſt in Archi-Diœceſii Pragenſi tempus Paſchale, quod ſta-

ſtatìm à die Cinerum incipit, & usque ad Feſtum SSS. Trinitatis durat, ergo. Ex quo infertur: quòd licèt ex declaratione Eugenii IV. tempus Paſchale ordinariè incipiat à Dominica Palmarum, & terminetur Dominicâ in Albis, poſſit tamen juxta conſvetudinem quarundam Diœceſion illud tempus ampliùs extendi, ità: ut quocunque die, intra tale temporis ſpatium quis communicet, in Paſchate communicâſſe cenſeri debeat. Locus tamen, in quo Evchariſtia Paſchali tempore ſuſcipi debeat, nullus omnino à Lege NB. poſitivè, clarè, & expreſsè determinatus eſt; unde ſi quis in Eccleſia aliqua Regularium, à proprio Parocho, Auguſtiſſimum hoc Epulum ſuſciperet, obligationi Legis, Communionem Paſchalem præcipientis integrè ſatisfaceret; ùt probabilior habet ſententia Tamburini Tr. 3. C. 4. N. 1. & La Croix Lib. 6 Part. 1. N 631. Quia verò ordinariè Parochi non alibi, quàm in Eccleſiis propriis Communionem Paſchalem diſtribuere ſolent Oviculis ſuis, idcirco de jure communi, gravis eſt obligatio recipiendi Evchariſtiam, tempore Paſchali in propria Parochia. Ità communior ſenſus Authorum; & indè etiam gravis hujus ſententiæ evincitur obligatio, quòd in Conſtitutionibus ſynodalibus, ſtatuta pœna excommunicationis ſit in hos, qui in Parochiis propriis, Paſchatis tempore non communicant; quæ pœna Eccleſiaſtica, cùm gravis ſit, etiam gravem Legis evincit obligationem.

℞. *ad* 4. Non satisfecit *Wolfredus*; nulli, ùt casus præsens supponere videtur, certo beneficio præfectus Sacerdos, dum is Comunionem Paschalem more Laicorum, è manibus sui Confessarii Ordinis Mendicantium Religiosi accepit. Ità Castro-Palao. Tr. 21. D uni. P. 15. N. 10. La Croix Lib. 6. Part. 1 N. 639. Ratio est: quia in citato Cap. *omnis utriusque Sexûs*. Præcipitur omnibus simpliciter, & irrestrictè, ut more Laicorum Communicantes Evcharistiam de manibus proprii Sacerdotis suscipiant; & hoc quidem responsum de Communione *Wolfredi* Laicorum more suscepta procedit; nam si in quacunque Ecclesia celebret Sacerdos quiscunque, & sacrificando seipsum communicet, præcepto communicandi in Paschate, plenè satisfacit, ùt cum aliis docet Gobat. Huic præcepto etiam morem gerunt domestici, qui in Collegio Societatis JEsu servitiis addicti, in Templo ejusdem Societatis animô per Confessionem purgatô in Paschate communicant. Ità Ilsung. cum La Croix Lib. 6. Part. 1. Num. 154; quia Societati quoad hoc, speciale collatum est Privilegium, ùt patet in Compend. Privil. Soc. JEsu. V. Familiaris §. 1. & 2. Studiosi tamen teste La Croix Lib. 6. Part. 1. N. 646 & Gobat Tr. 4. N. 77. per se loquendo non possunt extra Parochiale templum sumere Evcharistiam in Paschate; quia verò, quoad hoc punctum, jam ferè ubique aliud obtinuit consvetudo, & tacita Parochorum atque Ordinariorum censeatur adesse approbatio, licèt Studiosis in Ecclesiis Academiæ, aut Gymnasii

ſii, in quo literis operam dant, Paſchali tempore communicare. Indè exacta Profeſſorum, & Moderatorum requiritur vigilantia, ut ad Legis hujus obſervantiam ſtudioſos adurgeant, & peractæ Communionis Paſchalis teſtimonium ab iisdem ſibi exhiberi poſtulent. De cætero omnes, tam Clerici Parocho ſubjecti, quàm Laici, tempore Paſchali, ſub una ſpecie, nec aliter ſumere Evchariſtiam poſſunt, quàm à Parocho proprio tantùm, aut de licentia memorati Parochi, à Sacerdote quocunque, ſive Regulari, ſive Sæculari, accipere valent, ſicut de obtenta ab eo facultate, cætera Sacramenta *v.g.* extremam Unctionem fidelibus adminiſtrare, utì & eorum matrimoniis aſſiſtere queunt. Ex quibus reſolves neminem tempore Paſchali implere præceptum Eccleſiæ, qui communicat in Cathedrali Eccleſia, nisì Evchariſtiam de manibus proprii Parochi ibidem recipiat, aut certè ab Epiſcopo ſuo S. Synaxi reficiatur, quia Epiſcopus eſt Parochus Parochorum, ùt conſtat ex Cap. Præcipimus 12. Q. 2.

R. *ad* 5. Quantumvis Tambur. Tr. 3. C. 10. & Tolet. Lib. 2. Cap. 28. N. 24 cenſeant *Alaricum* etiam non jejunum ſuſcipere poſſe Evchariſtiam, ut is præceptum Eccleſiæ, Paſchali tempore obſervet; Probabilior tamen eſt ſententia P. La Croix Lib. 6. Part. 1. N. 584. Præpoſ. Dian. & aliorum, quæ contrarium probat: ratio autem eſt: quia juſta de cauſa poteſt differri Communio Paſchalis, ùt oſtendit *Cap. omnis utriusque*, ſæpius cit.; atqui dum aliquis præter in-

tentionem violavit jejunium naturale, habetur causa justissima, Communionem differendi in diem sequentem, ergo. Nec obstat: quod præceptum communicandi, sit præceptum divinum quoad substantiam; nam illud adhuc exactè observaretur quoad substantiam, modò *Alaricus* die subsequa Cibô Evcharisticô uteretur. Præter articulum mortis, in quo obligantur fideles ad usum Evcharistiæ per modum Viatici, non est in præsenti, ulla alia obligatio, quàm ut semel duntaxat in anno, saltèm Paschali tempore, à Christianis, & Baptizatis nullô impedimentô arctatis, Evcharistia sumatur, ùt patet ex Concil. Trid. Sess. 13. Can. 9. ubi sacrosancta synodus ità definit: *Si quis negaverit, omnes & singulos Christi Fideles utriusque Sexûs, cùm ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltèm in Paschate ad communicandum, juxta præceptum S. Matris Ecclesiæ, Anathema sit.* In primitiva Ecclesia (ùt in ipso dogmate innuit etiam Aurelius) quotidianus quidem fuerat Evcharistiæ usus; sed refrigescente nonnihil charitate, & auctô fidelium numerô, Ecclesia determinavit, ut ter quot annis, nempe in Nativitate Domini, Paschate, & Pentecoste, comunicaretur à Christianis; donec tandem justis de causis præceptum & legem statueret, ex qua semel in anno Paschali tempore fideles omnes Evcharistiam sumere forent obligati.

R. *ad* 6. Nulla lege prohibebatur *Bellindus* Presbyter Græcus, quò minùs in Bohemia existens, Paschalem Communionem, in pane azymo

zymo cum Sacerdotibus latinis susciperet, ità quidem: ut per hunc sacri Convivii usum, praecepto Ecclesiae verè satisfecerit. Ratio est: quia tanquam peregrinus poterat se accommodare consvetudini legitimae, quae viget in Bohemia, ergo. Consentiunt resolutioni huic Bonnac. Disp. 4. Q. 2. P. 1. N. 10. Suarez, Castro Palao, Sanchez & alii. Consentaneum igitur est, & latinos Sacerdotes in iis partibus, ubi viget ritus Ecclesiae Graecae, & Graecos in his, ubi praevalet ritus Ecclesiae latinae, posse Evcharistiam sumere; imò & sacrificare modô cuivis huic Ecclesiae propriô, & ab Ecclesia Romano-Catholica permissô; ùt rectè probavit Concil. Florent. in Decret. ad Arm.; ubi tamen pro coronide observandum est: quòd latinus Sacerdos, Romae in Ecclesia S. Sophiae sacro Graecorum ministerio destinatae Missam probabiliùs graeco ritu celebrare nequeat; quia Ecclesia haec, non tam Graecorum, quàm purè Nationi & Genti huic Romae in favorem specialiter constituta, & aedificata fuit, ut soli duntaxat Gentis illius homines, officia & ministeria sua, ibidem peragere valeant. Utì Resolv. Suarez Disp. 44. Sect. 3. Filliu. Tr. 4. C. 3. Q. 8.

CAPUT II.

Fidei verae mos confirmatus in propugnanda Evcharistia, ejúsque usu, aut ad eam pertinentibus à Fideli.

Assero 1. CHristus in Evcharistia est realiter praesens,

ſens, habétque ibi veram realem exiſtentiam Corpus & Sanguis Chriſti. *P. 1.* ex Joann. 6. *Panis, quem Ego dabo, Caro mea eſt pro mundi vita*; quod de Sacramento Eycharîſtiæ intelligi certum eſt omnium conſenſu PP. contra Calvinum. Iterum 1 ad Cor. 10. *Panis, quem frangimus, nónne participatio Corporis Domini eſt*; ſed hi textus ly Corpus, ly Caro, non accipiuntur figuratè, ùt clarè patet ex C. 11. ad Cor. 1ma. *Quicunque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini*; ubi non dicitur: *reus erit figuræ* Dominici Corporis indignæ tractatæ; ergo hìc ly Corpus, ly Caro, ly Sanguis pro vera realitate ſumuntur, ergo in Evchariſtia realiter eſt Corpus, & Sanguis Chriſti. Accedit: quòd Agnus Paſchalis, Manna, panis & vinum Melchiſedechi, panes propoſitionis fuerint figura Evchariſtiæ, ergo in Evchariſtia eſt realiter illud, quod figurabatur; figura enim debet proportionari figurato; figurabatur autem per figuram realem Caro & Sanguis Chriſti, ergo Corpus & Sanguis Chriſti ſunt realiter in Evchariſtia. Aliàs enim ex contrario illud ſequeretur abſurdum, quòd priores figuræ præſtantiores eſſent Sacramentô Evchariſtiæ; quod eſt contra rationem figuræ, quæ ſolet eſſe inferior figuratô, ergo. *P. 2.* Ex inſtitutione Evchariſtiæ; Nam Chriſtus illam inſtituit per verba: *Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis tradetur*; *Hic eſt Sanguis meus &c.* ſed hæc debent accipi propriè & non figuratè, ergo. Min: ipſe Calvinus

vinus suis verbis sat clarè demonstrat veram esse, cum dicit in Cap. 11. 1. ad Cor. *Dari nobis Corpus*; & rationem subdit: *neque enim fallax est, qui figuris variis nos ludat*; & statim addit: *sibi esse extra controversiam veritatem Corpus Christi hìc cum suo signo conjunctum*; & in libello de Cœna Domini inquit: *Necesse est, nos in Cœna verè Corpus & Sanguinem Christi recipere.* Deinde ait: *Concludo realiter, ut vulgò loquuntur, nobis in Cœna dari Corpus Christi.* Quid clarius ab hoste veritatis expectemus, ergo

Sed contra cum Calvino: Locutiones in Scriptura positæ: Agnus, Petra, vitis, quæ vel de Christo dicuntur, vel Christus de se dixit, ut hanc: *Ego sum vitis &c.* sunt figuratæ, ergo & hæ: *Hoc est Corpus, hic est Sanguis*, erunt figuratæ & impropriæ, ut sensus sit: hic panis est signum, seu figura Corporis mei, ergo. *Nequaquam ajo*: Aliàs & hæ locutiones: *Hic est Filius meus dilectus*, & similes erunt figuratæ & impropriæ. Indè retorqueo argumentum: Præcedens locutio: *Hic est Filius*, aut ista: *Judas est proditor*, sunt locutiones propriæ, & non tantùm figuram, aut signum aliquod indigitant, ergo & hæ: *Hoc est Corpus meum &c.* erunt propriæ; ergo.

Sed contra: Hoc facite in meam Commemorationem, dicitur, ubi Evcharistia instituitur, atqui memoria est rei absentis, ergo in Evcharistia Corpus Christi est absens, & non verè realiter præsens. *Ità verò* nos Evcharistiam offerimus, & manducamus in memoriam NB. mor-

tis Christi, juxta illud 1. ad Cor. 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc* &c. *Mortem Domini annunciabitis*; atqui mors non est jam, sed fuit, ergo facimus memoriam rei absentis, etsi NB. Christus realiter sit præsens in Evcharistia.

Sed contra Matth. 26. dicitur: *Non bibam de hoc genimine vitis, donec illud bibam* &c. Hæc verba dicta sunt post consecrationem, ergo post hanc adhuc fuit purum vinum in calice, adeoque tantùm figura Sanguinis Christi & non realiter Sanguis, ergo. *Nequaquam dico*: hæc verba enim prolata sunt ante consecrationem, quod constat ex Luca; im̃ediatè enim conjunguntur cum præcedentibus: *Dico enim vobis, quia ex hoc* &c. (intellige Paschate) *non manducabo illud, donec impleatur in Regno DEI*; atqui hæc verba dicta sunt ante institutionem Evcharistiæ, ergo & illa; licèt Matthæus ista non retulerit suô locô.

Sed contra: Ex Calvino Lib. 4. Instit. C. 17. §. 23. In Evcharistia vel est solum corpus realiter, & tunc est sinè anima, vel totus Christus, & tunc, ly: *Hoc est Corpus meum*, & *hic est Sanguis meus*, idem significabunt, ergo super panem potero dicere: *Hic est Sanguis meus*, & super vinum: *Hoc est Corpus meum*; ergo. Neutiquam istud sequitur; quia attendendum est, quid propriè vi verborum ponatur, non quod vi concomitantiæ; cùm ergo vi verborum: *Hoc est Corpus meum*, ponatur propriè solum Corpus, & vi verborum: *Hic est Sanguis*, solus Sanguis, non poterunt propositiones istæ sic usurpari, ùt infert Calvinus. *Sed* ex Calvino Christus

ſtus non poteſt propriè manducari, quomodo ergo ibi verum eſt Corpus Chriſti in nutrimentum, & cibum ſpiritualem propriè & vera realitate propoſitum? R. N. manducari non poſſe Chriſtum; ad manducandum enim non requiritur, ut cibus dentibus conteratur, ſed ſufficit ſumptio & tranſmiſſio ad ſtomachum per inſtrumenta naturalia *v. g.* linguam, palatum &c. alioquin edentuli, nunquam comederent; atqui ſic poteſt ſumi, & ſumitur Chriſtus, ergo propriè manducatur. *Sed*: nónne Auguſtinus Tr. 25. in Joann. Catholicis contrarium dogma dicit, cùm ità loquitur: *Ut quid paras dentes, & ventrem; crede, & manducâſti*, ergo vera eſt Calvini doctrina, non aliter Chriſtum manducari, quàm Fide.

Non ità eſt: Auguſtinus enim tunc de Incarnatione loquitur, non de Sacramento; nondum enim pervenerat ad locum, in quo agitur de Sacramento, ergo. *Sed*: Etiam dum loquitur de Sacramento, dicit: *Qui manducat corde, non premit dente*; ergo. *Neutiquam ajo*: excludere Auguſtinum hôc locô ſacramentalem ſumptionem, ſed docere finem Sacramenti eſſe: alere animam, non corpus, licèt per inſtrumenta corporea ſumatur; ac proinde non ſufficere ad illum finem, ut ſolo dente teratur; hinc dicit quoſdam ſolo corpore manducâſſe; ex quo patet: quod non excludat Sacramentalem ſumptionem, ſed ſpiritualem præferat corporali, ergo.

Sed

Sed contra : Psal. 113. habemus clarissimè illud : *DEus autem noster in Cælo est*; Et Isaiæ 66. *Cælum mihi sedes est* ; atqui Christus defacto in eadem sede sedet , ergo tantùm est in Cœlo realiter, ergo non Evcharistia. Accedit : quòd de Christo dicatur : *Surrexit non est hìc*, quod falsum esset, nec ex ly *surrexit*, sequeretur hæc consequentia : *non est hìc*, si Christus posset esse in duobus locis. Denique urget argumentum: C. Matth. 24. ubi sic legimus : *Si dixerint vobis*; *Ecce hìc*, *aut illic est Christus*, *nolite credere*, ergo quando Papistæ dicunt : Ecce, Christus est in Altari, non est credendum, consequenter nulla ibi realis Christi præsentia. Tandem: Nónne Matth 26. hoc iterum notatur : *Pauperes semper habetis vobiscum*, *me autem non semper habebitis*, ergo Christus non est in Evcharistia, & illum modo ibi realiter non habent Catholici; ergo. *Pessimè ajo* discurrit advers.; *imum* enim probat DEum non esse ubique; nego igitur C. quia potest Corpus esse divinitùs in duobus locis. Aut certè dici potest : non esse realiter eô modô in Evcharistia, quô est in Cœlo; in Cœlis enim est modô connaturali; in Sacramento Evcharistiæ modô supernaturali, est quippe sinè extensione partium ad locum, est totus in Hostia tota, & totus in qualibet parte ; ergo. *Ad 2*. Bonam fuisse consequentiam ajo, quia directa erat ad mentem mulierum, quæ Christum quærebant in sepulchro mortuum; Angelus autem ait : *Non est hìc*, id est : non est in sepulchro mortuus ; *surrexit enim* ; quæ ratio bo-

bona eſt, & bonam facit illationem; quia ſi ſurrexit, non poterat jacere in ſepulchro mortuus, ergo. *ziin-n.* Quod objicitur, huc non ſpectat; cùm ibi Chriſtus de impoſtoribus, & Pſeudo-Prophetis ſe pro Chriſto venditantibus loquatur, ut nempe tales caveantur. Ultimum iterum claudicat, quia præſentiam ſui viſibilem hoc textu Chriſtus inſinuat; atque ità hoc ſolùm verum erit; nos non habituros Chriſtum, ſtante etiam præſentia reali in Evchariſtia, modô viſibili; cùm in hac ſit præſens modô inviſibili, ergo.

Sed contra Nónne Chriſtus in Cœlum aſcendit, unde Eundem expectare debemus, juxta illud *ad Philip: 3. Noſtra autem converſatio in Cœlis eſt, unde & Salvatorem expectamus*; ergo Chriſtus non eſt in Evchariſtia, quem ùt Salvatorem iterum videre expectamus. Et certè: veritas Carnis, aſpectu probatur, & tactu; ſic Lucæ 24. habemus: *Palpate, & videte*; atqui in Evchariſtia nihil videtur, palpatur nihil de Chriſto, ergo ibi veritas Carnis Chriſti non eſt. Quid multis? exhortatio eſt *Apoſtoli 1. ad Col: 3. Quæ ſurſum ſunt quærite NB. ubi Chriſtus eſt*, ergo in Evchariſtia hìc in terris, realiter Chriſtus non eſt, ergo. *Neutiquam ajo* claudicantibus terminis concludunt aliquid Calvini aſſeclæ; *non imò*, quod adducunt; quia expectamus Chriſtum tanquam Judicem venturum viſibiliter; neque propterea ſequitur Chriſtum non eſſe nobiscum inviſibiliter vera realitate in Evchariſtia ad nos reficiendos, ergo.

Non

Non 2dò. quod afferunt, aliquid contra nos facit; quia aliud eſt *per affirmationem* colligere quidpiam, aliud *per negationem*; bene ergo infertur: *hoc videtur & palpatur, ergo eſt corpus*; malè autem infertur: *hoc non palpatur, nec videtur, ergo non eſt corpus.* Nónne Chriſtus Lucæ 4. Tranſivit per medium Judæorum, qui Eum, de monte præcipitare volebant; quo caſu nec videbatur, nec tangebatur à Judæis, & tamen realiter, veróque corpore inter illos erat, ergo. Et amabò? potéſtne DEus impedire ſenſationem viſûs, & tactûs? certè ità, ergo. *Neque denique 3tiò.* quod incombinatè adducunt, evincunt aliquid Sectarii; citato enim textu de elevatione mentis à rebus terrenis, fit ſermo; quod certè non impedit, quominùs Chriſtus quæratur in Evchariſtia, & reali ſua præſentia adoretur; nónne licèt DEus ubique ſit, adhuc tamen, docti ſumus Chriſti Magiſterio orare, & dicere: *Pater Noſter, qui Es in Cœlis* ergo.

Sed contra: *Joan: 6.* dicitur: *Spiritus eſt, qui vivificat, Caro non prodeſt quidquam*; ergo dicere carnem veram eſſe in Evchariſtia nihil prodeſt, falſiſſimúmque eſt. Iterum: *Matth: 15. Omne, quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur*, ſed Corpus Chriſti eò non emittitur, ergo non intrat tanquam verum Corpus in os, & ventrem, conſequenter realiter præſens in Evchariſtia, Corpus Chriſti adhuc non eſt. *Nequaquam* his etiam argumentis probatur aliquid, vel leviter convincens

cens veritatem Catholicam. Quia imò textu Christus non loquitur de sua carne, alioquin sibi contradixisset Veritas Ipsa; dicens: eodem C. *Qui manducat meam Carnem, habet vitam æternam*; & *ad Coloss. 1.* dicimur reconciliati DEO per Carnem Christi, ergo prodest Caro Christi. Loquitur igitur Christus de carnali intelligentia, ùt Evthym: Chrysost: Theophil: Orig: Cypri. exponunt; eô enim locô per ly Caro designatur, carnalis cogitatio, ùt opponitur cogitationi spirituali, & ex fide, atque inspiratione Cœlesti; quod patet ex occasione dicti illius; cùm enim Judæi cogitarent Christi carnem eô modô sumendam, quô cæteræ carnes, mox subjunxit Christus: *verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*; id est: verba mea non debetis in carnali sensu accipere, sed fide & intelligentia à DEO inspirata ergo. *2dum* quod affertur, Petri, ùt dicunt, Martyris, argumentum meretur omnino remitti in secessum; quid enim infert? nihil; certè siquidem Corpus Christi sumitur in os, & ventrem, & corruptis speciebus desinit ibi esse; in citato autem textu Christus loquitur, de cibo ad alendum corpus sumpto, qui omnino, non autem Corpus Christi, quod corruptis speciebus non ampliùs manet, mittitur in secessum; quippe cibus corporalis, ad alendum corpus ordinatus digeri debet, ex quo alterum consequitur in animali, Christus autem sumitur ad sustentandam animam, ergo opus non est, ut digeratur, consequenter opus non

est,

eſt, ut eò, quò cibus corporalis digeſtus promoveatur, ergo.

Aſſero 2dò. Corpus Chriſti manet ſub ſpeciebus, etiam extra uſum. *P. imò.* Ex verbis Conſecrationis: ſic illa verba, *hoc eſt corpus meum. hic eſt ſanguis meus* fuerunt vera, quam primum ea Chriſtus protulit, atqui prolata fuerunt ante ſumptionem, ergo ante hanc fuit Chriſtus ſub ſpeciebus panis, & vini. m. P. Quia prædicta verba, continent rationem, cur invitet ad manducandum, & bibendum Apoſtolos Chriſtus, unde *Matth:* 26. additur ly *enim*; ergo ſi invitabantur ad ſumendum ideo, quia, quod porrigebatur, erat Corpus & Sanguis Chriſti, priùs erat Corpus & Sanguis ſub ſpeciebus, quàm ſumpſerint Diſcipuli, ergo. *P. 2dò.* Ex Lucæ 22. *Hic eſt Calix novum teſtamentum in meo ſanguine*; ergo in Calice priùs erat ſanguis, quàm in ore, ergo. Hinc *Chryſoſt.* ait: *Quid eſt in Calice? quod fluxit ex Latere Chriſti.* *P. 3tiò.* Ex Tradit: PP. 1mò. *Clement. Rom: lib:* 8. *Conſtit: Apoſtolic. C.* 13. qui, quod ſupereſt de Corpore Domini, jubet cum debita reverentia recludi in paſtophorio, ſeu Tabernaculo. 2dò. *Juſtini in Apolog:* 2. qui ſcribit: poſt ſacra peracta in Eccleſia dari Diaconis Evchariſtiam deferendam ad Fratres abſentes; ergo poſt ſacra peracta, fuit verum Sacramentum; quorſum enim aliàs labor iſte deferendi valeret, ergo. 3tiò. *Baſilius* in Epiſt: ad Cæſariam Patritiam teſtatur, Eremitas, ſolitos fuiſſe Evchariſtiam ſecum deferre ad Eremum,

mum, & ibi ſuo tempore ſumere, ergo. Denique Concil: Nicæn: Can: 14. monet, ut in abſentia Presbyteri, Diaconi Evchariſtiam porrigant; ex quo clarè ſequitur, fuiſſe ſervari ſolitam in Eccleſia Evchariſtiam, Diaconi enim celebrare, ſive conſecrare non poſſunt; & denique ex his clarè conſtat Chriſtum ſub ſpeciebus etiam extra uſum permanere, ergo.

Sed contra: Baptiſmus non eſt Sacramentum permanens, ergo nec Evchariſtia. Deinde Sacramenti eſſentia pendet ab Inſtitutione Chriſti, atqui Chriſtus juſſit panem benedici, frangi, & diſtribui, atque manducari, non autem ſervari in pyxide, geſtari in ſupplicationibus, adorari in Eccleſia, ergo non eſt Sacramentum, dum ſervatur in pyxide, ſed tunc, dum benedicitur, frangitur, diſtribuitur, manducatur; conſequenter in *his* 4. conſiſtit ratio Sacramenti Evchariſtiæ; atqui hæc omnia ſunt actiones tranſeuntes, ergo. *Ità verò* lata eſt diſparitas ad objectam paritatem; quia Baptiſmus conſiſtit eſſentialiter in ablutione; nam ly baptizo, idem eſt, ac lavo, abluo; hæc autem eſt actio tranſiens, ergo conſiſtit in actione tranſeunte, ergo. Jam autem: Evchariſtia in nulla actione eſſentialiter conſiſtit; non in fractione, aut diſtributione, hanc enim nemo unquam vocavit Sacramentum, ſed rem permanentem panem ſanctificatum; ſic *Juſtinus in Apolog: 2. inquit: hic Cibus à nobis appellatur Evchariſtia*; panis autem & cibus ſunt quid permanens, ergo. Nec etiam actio manduca-

tionis eſt Sacramentum; nemo enim Evchariſtiam vocavit manducationem, ergo. Deinde manducatio eſt actio ſolius ſuſcipientis, non DEI, aut Miniſtri; Sacramenta autem non ſunt actiones ſuſcipientis, ſed DEI & Miniſtri; ergo reſtat, ut rei permanenti, tribuatur ratio Sacramenti; ſed non pani, quia ille deſtruitur, ergo Corpori Chriſti, & Sanguini ſub ſpeciebus contento; atqui iterum ſpecies ſunt quid permanens, ergo ſub his Sacramentum Evchariſtiæ eſt quid permanens. *Ad* 2. Quod objicitur dico: iſta 4. juſſiſſe quidem Chriſtum, nec tamen inſtitutione ſua mandâſſe, ut ſtatim poſt benedictionem ſumatur; hinc conſervatio, & geſtatio, non repugnat Inſtitutioni Chriſti. Indè ſemper erat moris in Eccleſia, ut ex conſecratis particulis ad manducandum reſervarentur aliquæ, quæ poſtea ſuo tempore manducari poſſent *v. g.* ab infirmis; eo autem tempore, quo conſervantur, quid amabò prohibet geſtari, & ad adorandum in Eccleſia proponi? ergo. Denique: Cùm omnia velint ex Scriptura probare Sectarii, ubi amabò, aut ex quo Scripturæ loco iſta 4. citata requiri comprobabunt adverſarii? Certè fruſtraneè folia ſacra pervolvent, ergo. Fateor quidem, finem principalem Inſtitutionis Chriſti, eſſe manducationem; hinc tamen non ſequitur, debere ſtatim ſumi, ità, ut nisì ſumatur, non maneat Evchariſtia; ſicut: licèt vinum creſcat, ut bibatur, indè non ſequitur, vinum non manere, ſi non ſtatim bibatur.

Sed contra Matth: 26. Accepit JESUS Panem &c. deditque Discipulis suis, & ait: accipite, & comedite, hoc est Corpus meum, ergo prolatio verborum, & sumptio immediatè simul fuerunt. *Neutiquam ajo* hìc attendendum esse, quæ verba priùs, quæ posteriùs posuerit Matthæus; Nam subinde Evangelistæ ex ratione illis nota, non servant ordinem verborum; Deinde: Si spectemus illum ordinem, manifestè sequitur, verba illa: *hic est sanguis*: dicta esse, postquam jam Apostoli ex Calice biberunt; id quod patescit ex *Marci 14. & accepto Calice gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis: hic est sanguis novi testamenti; ergo. Sed* juxta Calvin: Lib: 4. Instit: C. 17. § 37. Non verificantur verba ante manducationem, sed cum illa, eò, quod præceptum: *accipite & comedite*, conjunxit cum promissione: *Hoc est Corpus meum*; atqui promissio non debet priùs impleri, quàm præceptum, ergo. *At enim*: Falsum est verba illa esse promissionem; nec enim exprimuntur per futurum, sicut illa: *Qui crediderit* &c. *salvus erit*; Vel illa: *Invoca me, & exaudiam te*; Non enim dixit: exaudio te, ergo. Præterea: Scriptura & PP. Corpus Christi, & in Sacris Altaribus, & Vasis esse agnoscunt; sic *Concil: Nicæn: ait: In Sacra Mensa Agnum DEI esse Sacramentum*; idem sentiunt Optat: Milevit: lib: 6. contra Parmen: Chrysosto. homil: 24. in 1mam ad Corinth:, ergo.

§ I.

Impugnatio Acatholici facta Fideli.

SUmptio ſub utraque ſpecie Sacramenti Evchariſtiæ eſt Præcepti Divini. *P.* cum Calvino lib: 4. Inſtit: C. 77. § 47. *Dictum æterni Regis eſt, ut omnes bibant*, ergo ſi de præcepto divino eſt uſus Evchariſtiæ, erit etiam de præcepto uſus utriusque Speciei. Patet id ex *Matth:* 26. *Bibite ex hoc omnes.* *P.* 2dò. cum Huſſitis ex *Joan:* 6. *Nisì manducaveritis &c. & biberitis &c. non habebitis vitam in vobis*, ergo neceſſaria eſt & manducatio Corporis Chriſti, & ſumptio Sanguinis Chriſti, cùm nobis neceſſaria ſit vita ſpiritualis. *P.* 3tiò. *Ex* 1. *ad Cor:* 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis &c.* Ex quo ſic argumentor: Paulus utramque ſpeciem tradidit, atqui traditio obligat omnes, ergo ſumptio utriusque ſpeciei obligat omnes, ergo. Iterum *Marci* 14. *habetur: hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur*; ex quo ſic arguo: Sanguis datur omnibus illis, pro quibus fuſus eſt; atqui etiam pro Laicis eſt fuſus, ergo etiam debet dari Laicis. Accedit *C.* 13. *Marci*, ubi ſic legimus: *Quod vobis dico, omnibus dico.* Ex quo ità infert *Hamelmannus*: atqui ly bibite eſt dictum Apoſtolis, ergo & cæteris omnibus; ergo. Denique hebræi in deſerto omnes biberunt aquam de petra, ergo in deſerto hujus vitæ omnes debent bi-

bibere'Sanguinem Christi. Tandem: Laici non debent spoliari, ùt bene probat *Kemnitius* dulcissima illa consolatione, quæ est ex Calice Sacramenti; Christus enim instituit Evchariſtiam permodum Convivii, ad quod præter cibum, necessarius est potus, ergo. *P.* 4. Evchariſtia debet sumi, sicut est instituta, atqui instituta est sub utraque specie, ergo. Insuper Christus in ultima Cœna condidit testamentum, quô nobis omnibus legavit carnem, & sanguinem, sub specie panis & vini, permodum hæreditatis, ergo. Denique si Christus non sumitur sub utraque specie, non sumitur totus, sed tantùm solum Corpus, vel solus Sanguis, ergo. Postremò: nónne datur Laicis Sanguis? ergo & Ejus signum dandum est; atqui species vini sunt signum Sanguinis, ergo.

§ II.

Propugnatio Catholica Fidelis.

SUmptio sub utraque specie Sacramenti Evchariſtiæ non est Præcepti Divini, neque necessaria Laicis. *P. imò.* Ab Auth: Christi, qui & verbô & factô asseruit, usum unius speciei, prodesse ad salutem; & quidem verbô: *Joan:* 6. ubi in quatuor textibus nullam prorsus facit mentionem alterius speciei, ùt *v. g. Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum; si quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum*; Idem in reliquis duobus dicit; ergo non imperavit Christus usum utriusque speciei; ali-

às enim dictæ propositiones non subsisterent. *Si dicas* cum Lutheranis: Ibi non agi de manducatione Sacramentali; *contra est*: ibi agi de aliqua manducatione, ergo vel de spirituali, vel de Sacramentali? si hanc negant, concedunt alteram, consequenter tunc fient Calvinistæ, qui docent omnem Christi manducationem esse spiritualem, & metaphoricam; ergo. Nobis interim certum est, & omnibus SS. PP. agi ibi de manducatione Sacramentali; quod & Hussitæ fatentur. Porrò factô id etiam Christus asseruit, dum Lucæ 24. Panem porrexit duobus discipulis in Emaus; fuisse autem Panem hunc Evcharisticum, testes sunt SS. PP. Chrysost: homil: 17. Operis Imperf. Hieron: in Epitaph: Paulæ ad Evstoch: Theophil: Beda ad C. 24. Lucæ. Aug: de Cons. Evang: lib: 3., ergo. *P. 2dò.* Ex usu tempore Apostolorum à Christianis observato; Sic *Act: 2. Erant autem perseverantes in Doctrina Apostolorum & fractione Panis, & orationibus*; atqui hìc nulla fit mentio Calicis, ergo sumptio Calicis non est de præcepto, aliàs & tempore Apostolorum observari debuisset, ergo. Quòd autem ibi Panis Evcharisticus intelligatur, patet ex circumstantiis, siquidem conjungitur fractio panis cum Doctrina Apostolorum, & orationibus, tanquam res sacra cum rebus sacris; neque aliàs in laudem Christianorum cederet, sensus de vulgari pane, consequenter de continua edacitate; patet id 2dò ex versione syriaca, quæ locò ly *panis* ponit: ly *Evcharistiæ*, ùt &

Be-

Beda fatetur, ergo. *P. 3tiò.* Ex uſu Eccleſiæ tam Orientalis, quàm Occidentalis, poſt tempora Apoſtolorum; jam enim indè ad noſtra usque tempora fuit in uſu ſumptio unius ſpeciei; quod patet ex facto Manichæorum, qui tempore S. Aug: fuerunt; illi enim vinum, fel draconis nominantes, ſub ſpecie Panis tantùm communicabant; ex quo ſic arguo: Manichæos, ex eo, quòd ſub una ſpecie communicarent, nemo SS. PP. arguit, cùm tamen alios eorum errores acerbè refutet Auguſtinus, aliíque; ergo non eſt de Præcepto ſub utraque ſpecie communicare, aliàs etiam in hoc, tanquam præcepto inobedientes, redargui debuiſſent Manichæi, ergo. Denique jam tunc apud Catholicos fuit in uſu una ſpecies, aliàs Manichæi latere non potuiſſent, neque etiam illi hunc uſum induxerunt, aliàs fuiſſent proditi, conſequenter antè jam in uſu fuerat una ſpecies, ergo. Inſuper primitivam Eccleſiam ſecuta eſt poſterior Eccleſia; nam teſte Concil: Conſtant: Seſſ. 13. & Baſileenſi, Seſſ. 30. ante 800. & ampliùs annos fuit etiam in uſu una ſpecies, ergo. Atque ſi jam in primitiva Eccleſia uſus unius ſpeciei fuit; ſic argumentor; Eccleſia primitiva in ſubſtantialibus fidei articulis non erravit; ſed illa unam ſpeciem uſurpavit, ergo neque de præcepto, neque de articulo fidei eſt duplicem ſpeciem uſurpare. Maj. Conc. ab adv. m. niſì omnibus Eccleſiaſticis hiſtoriis fides negetur, quod temerarium foret, clara eſt, ergo.

R. *jam ad* 1. Authoritatem Calvini nullam esse; propterea enim, quòd dictum Regis æterni sit, ut omnes bibant, non sequitur esse præceptum; neque extenditur ad omnes fideles, etsi adultos, aliàs includerentur etiam abstemii, quos ipsi adv. plerumque excipiunt; & deinde extenditur solùm ad eos, qui tunc erant præsentes, ergo. Neque aliquid pro Calvino facit alter textus: *Bibite ex hoc omnes*; quia iste pariter præsentes tantùm attinebat; quod ex illo patet Marci: *Et biberunt ex eo omnes*; hæc enim verba prioribus correspondent, ergo iis, qui biberunt, dictum est: *Bibite*; atqui soli illi, qui præsentes fuerunt, biberunt, ergo illis solis dictum est: *Bibite*; Et nónne si Paterfamilias domesticis diceret porrigens poculum: Bibite ex hoc omnes; certè non censeretur præcipere extraneis bibitionem, ergo. *Sed dices*: Omnes fideles biberunt in Apostolis, qui illos repræsentabant, ergo. *Contra est*: ergo etiam in Apostolis omnes fideles scandalizati sunt; omnes fugerunt, omnes in ultima Cœna contenderunt; cur enim in uno, & non in aliis Apostoli fideles repræsentârunt? En futile effugium! Sed inquis: Christus omnibus fidelibus mandavit sumptionem Evcharistiæ, ergo & sub specie vini sumptionem Sanguinis; R. Ità quidem, sed non per hæc verba, sed alia, nempe: Nisi manducaveritis &c. Quod immediatè ampliùs declaro, dum dico, &

R. *ad* 2. Textu Joan. 6. præcipi substantiam sumptionis, Corporis & Sanguinis, non autem mo-

modum, ut videlicet ſub una, vel ſub utraque ſpecie ſumpta fiat, neque apicem in illo capite, quis reperiet, ex quo id inferri poſſit; non quidem ex ly *Caro*, *&* *Sanguis*: Nam hoc utrumque ſub una ſpecie continetur; nec ex verbis: *Manducate*, *&* *bibite*; manducare enim Carnem Chriſti, & bibere ejus Sanguinem, idem eſt, ac ſumere totum Chriſtum; atqui in manducatione totus Chriſtus ſumitur, ergo & in manducatione Sanguis bibitur, ergo Chriſtus per illa verba non præcepit Communionem ſub utraque ſpecie; ergo. Deinde manducare & bibere ſæpe pro eodem ſumitur in Scriptura; ùt 1. ad Cor. 3. dicitur: *Lac vobis potum dedi*; poſtea autem Cap. 9. *Quis paſcit gregem*, *&* *de lacte gregis non manducat*; Ecce lac, & comedi dicitur, & bibi. Nónne David Pſ. 68. in Perſona Chriſti ait: *Dederunt in eſcam meam fel*; & iterum Matth. 27. de eodem felle habetur: *Dederunt ei vinum bibere cum felle miſtum*; igitur idem fel bibitur, & comeditur, ergo.

℟. *ad 3.* Paulum quidem utramque ſpeciem, utì à Chriſto erat inſtituta tradidiſſe, non tamen præcepiſſe; quippe in nullo Calepino invenitur: tradere idem ſignificare, ac præcipere; bene autem idem ac docere, vel narrare; ergo. Addito ex Marco Textu: *Hic eſt Sanguis meus* &c. Nimìs multùm probare volunt adv:, adeoque evincunt nihil; N. enim M. argumenti: aliàs & Turcis, & Ethnicis, dari debebit Sanguis Chriſti, nam & pro illis fuſus eſt. Denique argumentum Hamelmanni nimiùm claudi-

cat, qui nec textum fideliter citat; sic enim sonat: *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate* &c. ergo Christus demandat omnibus, ut omnes vigilemus, nè imparatos mors occupet. Jam autem: quid amabò: ex hoc vero textu pro duplici specie est argumenti? certè nihil; ergo. Pessimè igitur Sectarius ly vigilate omittit, & verbis Christi temerariè imponit. Et nónne multa sunt dicta Apostolis, etiam cum hoc Syncategoremate, *omnis*: quæ tamen non sunt omnibus dicta; nam Matth. 26. dictum est Apostolis: *Omnes vos scandalum patiemini in me in nocte hac*, quod tamen non convenit Matri DEI, ergo. Deinde: ex argumento advers. sequitur, quod omnes debeamus bibere, ex illo calice, ex quo jussit Apostolos bibere, quia dixit: *Bibite ex hoc omnes.* Ab Hebræis paritas non urget, quia sinè dubio debemus omnes bibere Sanguinem Christi, sed non sub specie vini; ergo. Tandem: vel *Kemnitius* loquitur de consolatione corporali, & tali dulcedine; vel spirituali, primam Catholici non curant, alteram habent sub specie panis. Ultimò: paritas à Convivio nîl evincit: in Convivio enim materiali non habetur potus sub specie cibi, panis *v. g.* aut carnis; in hoc autem spirituali Convivio habetur utrumque sub una specie, consequenter ad hoc Convivium utraque specie opus non erit; sicut fere: si pane in vinum intincto, possum sedare famem & sitim, non est opus distincta specie potûs, ergo.

℟. *ad 4.* non esse idem: *Instituere*, & *Præcipi*; siquidem Matrimonium, Ordo, & alia complura instituta sunt, neque tamen sunt omnibus præcepta, ergo. *Sed dices*: dum aliquis vult usurpare id, quod est institutum, tunc saltèm debet eo ritu id præstare, quô est institutum; sicut licèt non tenearis baptizare, si tamen baptizas, debes abluere, & formam competentem dicere, ergo. *Contra est*: Regula hæc universaliter vera non est; nónne DEus in institutione Matrimonii formavit ex costa Adami uxorem; & in institutione Evcharistiæ lavit pedes? ergo omnes Matrimonium ineuntes, debent sibi formare ex costa sua Sponsas? & Communicaturi debent lavare pedes? Certè non dicet Adversarius; ergo. Tandem malè supponit Adversarius, Evcharistiam esse hæreditatem; hæreditas enim nostra est vita æterna, ità habemus ad Tit. 3. *Ut hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ*, ergo. Nec tam clarum Textum ostendit Sectarius pro hæreditate Evcharistiæ, ergo tandem falsum est totum Christum non sumi, continetur enim cum Carne, Anima, Sanguine, Divinitate sub una specie totus Christus; cum hac differentia, quòd sub specie panis, vi verborum ponatur Corpus, & sub specie vini, vi verborum, ponatur Sanguis, & reliqua per concomitantiam ratione unionis cum Sanguine, ergo. Quæ omnia cedant in majorem DEI Evcharistici gloriam, Matris Divinæ, Sanctorúmque, cumprimis S. Augustini, & S. Joannis Nepomuceni honorem.

INDEX.

A.

B.

C.

Chris

I.

L.

M.

Male-

N.

O.

Opera

V.

THESES
EX
UNIVERSA THEOLOGIA

EX PARTE PRIMA.

I. EXistentia DEI nota est per se quoad se, non tamen est nota quoad nos viatores.

II. Essentia DEI metaphysica consistit in ente simpliciter; Physica in omnibus prædicatis absolutis, & necessariis.

III. Repugnat absolutè DEUM, ùt est in se, videri oculô corporeô, sicut etiam ab intellectu creato propriè comprehendi.

IV. Beati elevantur ad videndum DEUM per lumen gloriæ intrinsecum, quod absolutè suppleri potest per auxilium purè extrinsecum.

V. Solum lumen non est unica ratio ac virtus videndi DEUM, sed etiam intellectus influit in visionem.

VI. Licèt Beati æqualiter DEum non videant, omnia tamen, quæ sunt in DEO formaliter vident; Repugnat enim visio DEI sinè Personalitatibus.

VII. Entitativè simplex, terminativè triplex in DEO datur scientia: simplicis intelligentiæ, visionis, & media.

VIII Per quam futura libera conditionata cognoscit independenter à decreto prædeterminante

IX. Deus prædestinat ad gloriam ùt coronam ante absolutè prævisa merita, licèt non reprobet, nisì post absolutè prævisa demerita.

X Spiritus Sanctus non distinqueretur à Filio, si ab Eo non procederet.

XI. Angeli sunt ex natura sua incorruptibiles.

XII. Angeli non cognoscunt certò & infallibiliter secreta cordium. Poterant primo instanti suæ creationis peccare.

XIII. Locutio Angelica fit per ordinationem liberam actûs interni ad alterum Angelum, ità ut DEus ad hujus ordinationis existentiam in altero Angelo producat speciem etiam excitativam.

XIV.

XIV. Angeli damnati cruciantur per qualitatem à vero igne in Eis productam.

EX PRIMA SECUNDÆ.

XV. Beatitudo objectiva creaturæ rationalis est solus DEus.

XVI. Formalis verò, nec in sola visione, nec in solo amore, sed in complexo ex utroque consistit.

XVII. Voluntati naturæ humanæ etiam in statu naturæ lapsæ competit libertas indifferentiæ.

XVIII. Per se loquendo licet sequi sententiam probabilem relicta probabiliore.

XIX. Virtus est habitus, quo creatura rationalis per se disponitur ad bene operandum. Non est habitus essentialiter operativus solius formaliter honesti.

XX. Ratio formalis peccati non consistit in positiva entitate actûs peccaminosi, sed consistit in privatione rectitudinis actui humano debitæ.

XXI. Malitia peccati mortalis, in ratione offensæ, non est malitiæ simpliciter infinitæ.

XXII. Gratia alia est sufficiens, alia efficax. Hæc non consistit in prædeterminatione Thomistica, sed in auxilio Divino de se indifferente, ex prævisione tamen scientiæ mediæ infallibiliter operativo consensûs absolutè futuri.

XXIII. Tota Adami posteritas viâ ordinariæ generationis descendens contraxit originale demptâ Beatissimâ Virgine Mariâ, quæ

nec debitum proximum habuit ejusdem contrahendi.

XXIV. Poteſt gratia ſanctificans abſolutè componi cum peccato mortali.

EX SECUNDA SECUNDÆ.

XXV. Objectum formale fidei nequit eſſe quantacunque ratio humana.

XXVI. Sed eſt Veritas in dicendo ſimul & cognoſcendo infallibilis.

XXVII Non poteſt DEus falſam doctrinam verô miraculô confirmare.

XXVIII. Inter objecta materialia Fidei eſt Benedictum XIV eſſe verum Pontificem.

XXIX. Credens revelatam ſibi damnationem, non poteſt Theologicè ſperare ſalutem.

XXX. Inter DEum & hominem datur vera amicitia.

XXXI. Lex, quoad eſſentiam ſuam Metaphyſicam, eſt præceptum commune.

XXXII. Ut Lex obliget in actu ſecundo requiritur ejus promulgatio.

XXXIII. Legislator, tam Eccleſiaſticus quàm Politicus poteſt obligare in conſcientia.

XXXIV. Legislator Eccleſiaſticus, poteſt obligare ad actus merè internos.

XXXV. Judex, quem privatâ ſcientiâ novit innocentem, licèt publicè probetur nocens, nequit juſtè condemnare.

EX TERTIA PARTE.

XXXVI. Incarnatio Divinæ Perſonæ ex ſuppoſitione conſequente condignæ ſatisfactio-

ctionis ab homine præstandæ pro mortali, erat simpliciter necessaria.

XXXVII. Nulla pura creatura potest directè & ad condignitatem satisfacere pro veniali.

XXXVIII. Satisfactio Christi spectato valore Personali fuit simpliciter infinita.

XXXIX. Fuit ex rigore justitiæ commutativæ.

XL. Christus non est sibi meritus unionem hypostaticam per aliquod meritum aut tempore, aut naturâ prius, imò nec mereri potuit quoad primum illius esse physicum.

XLI. Christus poterat mereri Beatæ Virgini Maternitatem & etiam probabiliter defacto illam meritus est.

XLII. Humanitas Christi est sancta, sanctitate non solùm substantiali, sed & accidentali.

XLIII. Sacramenta novæ Legis constant rebus, tanquam materiâ, & Verbis, tanquam formâ. Intentio Ministri non est pars constitutiva Sacramenti.

XLIV. Sacramenta mortuorum causant gratiam primam per se, secundam per accidens.

XLV. Subjectum baptismi est solus homo viator. Non est ordinariè licitum baptizare parvulos infidelium, politicè tantùm subjectorum, invito utroque Parente.

XLVI. Eucharistia est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini. Sumpta sub utraque specie non causat majorem gratiam, quàm sub una specie tantùm.

XLVII. Habitus Pœnitentiæ non fuit in Christo. Pœnitentia non obligat ad statim pœnitendum.

XLVIII.

XLVIII. Potest DEus remittere peccatum absque actu peccatoris.

XLIX. Essentia Formæ Sacramenti pœnitentiæ probabiliùs consistit in his verbis : Absolvo Te.

L. Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium prout à Christo institutum, sunt vera novæ Legis Sacramenta. Inter Sponsos Virgineos Beatissimam Virginem & S. Josephum fuit verum Matrimonium.

A. M. D. G.

Augi
Hist.
Dogma
ti…